6
3-b
11
XIII. B. 20.
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
6
7 D
31
J. 3.
6-3-b-11

X-1-C-2

Digitized by Google

Q. MODERATI CENSORINI

DE VITA, ET MORTE LATINAE LINGUAE

PARADOXA PHILOLOGICA

CRITICIS NONNULLIS DISSERTATIONIBUS

EXPOSITA, ASSERTA, ET PROBATA

Praemittuntur, ac interſeruntur Colloquia inter
Eruditum Civem Ferrarienſem
& Hiſpanos aliquot
De rebus ad Humaniores praeſertim Litteras
ſpectantibus cum adjunctis unicuique
Diſſertationi Adnotationibus

OMNIA DIALOGI FIDE

AB UNO HISPANORUM NARRATA.

D.PROB.ROM.S.J.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FERRARIAE MDCCLXXV.

JOSEPHO RINALDI TYPOGRAPHO

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

VIRO ORNATISSIMO

JACOBO TURRIANO,

Q. MODERATI CENSORINI

VETERI SINGULARI AMICO,

ET OLIM CONTUBERNALI,

MATTHAEUS AIMERICH FEL. P.

C*Um* Q. Moder. Cenſorinus *tuus*, *mi* JACOBE, Paradoxa *iſta* Philologica de Vita, & Morte Latinae Linguae *Criticis aliquot Diſſertationibus expoſita cum adjunctis Colloquiis de rebus ad variam eruditionem ſpectantibus, mei juris eſſe voluit, ut de illis arbitratu meo ſtatuerem, vel ea ſupprimendo, vel detractis, additiſve, quae mihi viderentur, in lucem edendo; illud mihi haud obſcure ſignificavit, ne ſi forte lucubrationes iſtas publica dignas luce reputarem, inveniremque, qui eas ſuo periculo typis mandaret, ne, inquam, Patronum quaererem, cui eaſdem dedicarem. Ajebat enim ſibi placere, morem antiquorum ſervari, qui vel ſanguine conjunctis non imperitis, vel aequalibus doctis amicis labores ſuos litterarios inſcribebant:*

illud arbitrati, libros, qui liberae, & ingenuae mentis partus ſunt, non niſi ſub rationis, & virorum eruditorum clientela eſſe debere.

Quod ne a ſe perperam dictum exiſtimarem, illud confirmabat exemplis librorum M. Tullii, C. Caeſaris, Varronis, Corn. Nepotis, Catulli, utriuſque Senecae, & celebriorum etiam Chriſtianae profeſſionis Scriptorum: qui quidem vel conſanguineis, vel doctis amicis libros ſuos nuncupabant. Quod ſi ii nonnunquam Viris Principibus eos dedicarint, hoc praeſtitere cum argumentum, quod tractabant, eiſdem in primis conveniret. Sic, addebat, ut afferam exemplum veluti domeſticum Scriptoris Hiſpani ſane graviſſimi, cum L. Annaeus Seneca, vel cognatis, vel amicis opuſcula varia nuncupaſſet: libros nempe de Beneficiis *Ebutio Liberali:* de Brevitate Vitae *Paullino:* de Vita Beata *Gallioni fratri*: de Ira *Novato*: de Tranquillitate Vitæ *Sereno*: de Mundi Gubernatione, & Divina Providentia, *ut etiam lib.* Epiſt. & NN. Q. Q. *Lucilio; libros tamen* de Clementia *Neroni Caeſari dedicavit; propterea quod ſupremo Rom. Imperii Moderatori, vitae & necis arbitro, Clementia in primis conveniret.*

Hiſce vel monitis, vel juſſis Cenſorini *obſequi cupienti, non diu deliberandum mihi fuit, Vir doctiſſime, cuinam iſta* Cenſorini *opuſcula inſcriberem; nec dubitavi ea ad te mittere, ac tibi nuncupare, quod rem gratiſſimam me* Cenſorino *Auctori facturum pro certo haberem.*

Sciebam enim jampridem ex illo, magnam ab adoleſcentia uſque veſtra conſuetudinem, & amicitiam vos inter ex morum, ſtudiorumque ſimilitudine, ac ex ani-

norum aliquot contubernio eſſe contractam ; niſi eam cognationem appellare malimus, cum, ut in altero ex Proverbiis, ſive Sententiis Senecae habetur,

Benevoli conjunctio animi magna ſit cognatio.

Illud vero ſingulare mihi videtur in intima hac amicitia veſtra, quod per quinquaginta fere annorum ſpatium non modo nunquam dirempta, aut diſciſſa, ſed vel aucta in dies fuerit, vel certe integra permanſerit, atque illibata, licet infinita propemodum locorum diſtantia disjuncti eſſetis. Disjuncti nempe corporis praeſentia magno locorum intervallo per annos plurimos fuiſtis, ac pene toto orbe diviſi; cum tu in America, ille in Hiſpania eiſdem, vel ſimilibus ambo ſacris, & litterariis curis intenti vixeritis; & tu quidem in altera ex peaecipuis Americae Urbibus, ille plures annos in altera ex primariis Hiſpaniae ; ſed voluntate & amore conjunctiſſimi, veteri amicitia per epiſtolarum commercium conſervata. Haec autem renovata fuit cum te ex America, illum ex Civitate citerioris Hiſpaniae Mantuam Carpetanorum negotia quaedam opportune pertraxerunt: quo factum fuit, ut denuo poſt tot annos contubernales, & commenſales eſſetis: non quamdiu vos optabatis, ſed quantum temporis licuit per humanarum rerum viciſſitudines, ſive per inconſtantis fortunae, ut cum vulgo loquar, rebus veſtris parum propitiae arbitrium; quod adverſum adeo vobis fuit, ut tranquillum & jucundiſſimum convictum veſtrum repentina procella temporis ſuperveniens diſturbarit, atque diſtraxerit, donec tandem eadem vi tempeſtatis acti in Italiae oras delati fuiſtis, ibidemque rerum quadam veluti neceſſitate ſejuncti.

Sed haec nimis triſtia miſſa faciamus (licet vos graves iſtos fortunae ictus, quos devitare nequiviſtis, conſtanter ferendo leviores patientia feceritis) & ad Cenſorini *tui lucubrationes redeamus, quae muneris & amicitiae veſtrae monumenti loco ad te mittuntur non a me magis, quam a* Cenſorino. *Jam vero, mi* JACOBE, *id muneris non poteſt tibi non eſſe gratiſſimum: tum quod litterarium: tum etiam quod a* Cenſorino: *tum denique quod de rebus ſit magna ex parte ad humaniores litteras, ſive ad Philologiam ſpectantibus, quarum occaſione amicitiam coaluiſſe veſtram forſitan recordaris.*

Quod ſi rerum ab hac ingraveſcente aetate tua adeo remotarum oblivio te coeperit (quod mirum non fuerit); cum haec leges, illico menti tuae jucundiſſima ſuccurret recordatio felicium illorum temporum adoleſcentiae tuae, & Cenſorini, *cum ſub eodem tecto ſumma animorum, ſtudiorum, & ſententiarum conſenſione, in qua vis amicitiae poſita eſt, aetatem degentes, publicis in eiſdem latinitatis ſcholis tu in ſuperiori, ille in inferiori pro munere vobis injuncto Tarraconenſem juventutem Chriſtianis moribus, & latinis litteris inſtituebatis. Cum item poſt obita cotidiana ſcholae munia, a vobis, vel una domi conſiſtentibus, laxandi animi cauſſa, de humanioribus litteris ſermones miſcebantur, vel pomeridianis deambulationibus per Tarraconis pomoeria, & agrum proximum corpus exercentibus celeberrimae, & antiquiſſimae Urbis, quae totius citerioris Hiſpaniae Metropolis olim fuit, eidemque Hiſpaniae Tarraconenſis nomen dedit, rudera, & priſcorum Romanorum in ea dominantium magnificentiae*

ſplen-

ſplendida veſtigia, quae adhuc ſuperſunt, vel tunc ſupererant, magna cum oblectatione obſervabantur.

Ad horum vero conſpectum jam non vobis incredibilia videbantur, quae de magnitudine Romana de Urbis totius Orbis compendii magnificis aedificiis, ludis, ſpectaculis & operibus in Hiſtoricis leguntur conſignata. Erant quinimmo, quae oculis veſtris obverſabantur illa veluti humi ſtrata, & inſepulta cadavera variorum ſubſtructorum olim operum, templorum videlicet cum muſivo, ut vocant, pavimento imaginibus variis diſtincto, & inſignito: amphitheatri item, circi, aquaeductuum, ad civium uſus domeſticos, & naumachiae ludos: triumphalium arcuum demum, ſepulchrorum, ac ſtatuarum, quae vel integrae, vel mutilae, vel temporum edacitate, & injuria ſemeſae exſtant: erant, inquam, vobis incitamento, ut de Romanorum aedificiis, & monumentis inſignioribus diſſereretis.

Excitabant inſuper vos ad colloquia de Romanae reipub. regimine, de militia, de caſtrorum ordine & forma, de Romanorum litteris, rebus geſtis, & magiſtratibus, de ſacrificiorum, & funerum ritibus, ac cerimoniis, de coloniis, & municipiis latinae inſcriptiones plurimae optimis characteribus exaratae a Scipionum aevo ad Caeſarum aetatem in marmoribus, quibus parietes publicarum, ac privatarum aedium, uti etiam plateae, vici, Urbis moenia, & propugnacula conſpiciuntur exornata. In his vero expreſſa apparent civilia, & militaria Romanae Reipub. munia tum privata, tum publica cum nominibus Conſulum, Imperatorum, Provinciae Praeſidum, Praetorum, Proconſulum, Cenſorum, Quaeſtorum, Tribunorum, AEdilium, Fla-

minum, Sevirorum Auguſtalium, Augurum, Decurionum, Caeſaris Procuratorum, Libertorum, Cohortium, & Legionum, Aurigarum demum Circenſium illuſtriorum, ac variarum deductarum Coloniarum, & Municipiorum, quae ad Hiſpaniam Tarracon. ſpectabant.

Offerebant ſe etiam vobis ad eruditionis copiam, quae paſſim illis in locis reperiuntur effoſſa antiqua numiſmata ferrea, aerea, argentea, & nonnulla aurea cum expreſſis ad vivum iconibus, nunc Jani bicipitis cum roſtro navis: nunc triumphalium arcuum, vel triumphorum: nunc ararum & templorum Diis, & Auguſto ſacratorum: nunc falſorum Numinum: nunc Auguſtorum, & Auguſtarum horumque liberorum: nunc Coloniarum recens deductarum: nunc Sacerdotum ſacris operantium cum inſtrumentis, & apparatu Sacrificiorum. Illud vero vobis grave, ac permoleſtum, quod nullum Tarracone veſtigium appareret loci illius, in quo erecta Auguſto ara illa fuit, ex qua ſponte ſua prodiit, & progerminavit palma: qua de re ſane prodigiali Tarraconenſes per Legatos ſuos Auguſtum certiorem fecerunt: quae quidem omnia argumentum & materiem vobis miniſtrabant ad jucundiſſimas & eruditas confabulationes, quibus mentem & memoriam paſcebatis.

Neque vobis parum ſubſidii afferebant ad eruditionem, atque humaniores litteras excolendas libri complures ſelectiſſimi, quos domi habebatis, quorum nonnulli privati uſus fuerant Ant. Auguſtini Tarraconenſis Praeſulis doctiſſimi, ac Viri Clariſſimi Andreæ Schotti ejus familiaris: nonnulli item a Viris iſtis litteratiſſimis compoſiti, qui vobis magnam lucem ac-

cen.

cendebant ad Romanas Antiquitates ſecurius perveſtigandas & cognoſcendas, ut etiam ad obſcuriores interpretandos intelligendoſque antiquorum Scriptorum locos, quo utilius, facilius, & uberius poſſetis hiſce ſtudiis juventutem curis veſtris commiſſam informare, atque erudire. Sed video haec jam Epiſtolae modum excedere: quae idcirco fuſius commemoravi, ut nemo ullus miretur, lucubrationes iſtas ad te Amicum ab Amico in amicitiae teſtimonium, & monimentum muneris loco mitti. Parum id quidem hoc tempore uſitatum. an propter verorum amicorum paucitatem? prorſus neſcio; ſed placuit Cenſorino *antiquum morem renovari. Interea vale, mi* JACOBE *Vir ornatiſſime, & tum* Cenſorini, *tum meam hanc benevolam aequi bonique conſule voluntatem. Ferrariae VII.* Kal. *Aug. An. Chriſtiano* CIƆIƆCCLXXX.

Digitized by Google

Die 7. Oct. 1780.

IMPRIMATUR

F. V. A. Cavalloni Vic. Gen. S. Off. Ferrariæ.

Die 8. Oct. 1780.

IMPRIMATUR

Dominicus Laurenti Vic. Generalis.

Digitized by Google

OPERIS EDITOR

LECTORI ERUDITO S. ET F. P.

Tametſi ſupervacaneum nonnullis fortaſſe videbitur, Lector benevole, explicare, quid *Paradoxorum* nomine, quo titulo Lucubrationes ſuas *Cenſorinus* inſignivit, ſignificare voluerit: cum ſatis notum ſit viris doctrina, & eruditione praeſtantibus, quid tandem *Paradoxum* ſit; nihilominus, cum debitor ſim aeque minus eruditis, atque doctioribus, ſenſum vocis hujus Grecae originis in anteceſſum exponam, ne quis in deteriorem partem Opuſculi hujus titulum accipiat, & interpretetur.

Paradoxum dicitur Pronunciatum, ſive Axioma quodvis, quod natum eſt admirationem parere in audiente, vel legente. Non quod falſum ſit, licet falſi ſpeciem praeſeferat; ſed quia parum veroſimile & probabile apparet, eo quod contra vel praeter communem opinionem ſit. Exemplo res manifeſta fiet. Qui olim Antipodas, & Habitatores ſub Zona torrida eſſe affirmabant, probareque nitebantur, *Paradoxa* tradebant: non quia falſa dicerent, ſed quia parum veriſimilia atque probabilia, immo & falſiſſima, quae aſſerebant, multis videbantur: adeout perridiculi, & nugatores audirent, qui talia ſuaderent contra communem hominum opinionem: & tamen, ut poſtea compertum eſt, veriſſima affirmabant. Idem dicere poſſumus de multis Stoicorum Effatis, inter *Paradoxa* a Cicerone recenſitis: quae tamen expertia ſunt falſitatis, licet paucis veriſimilia videantur: adeo verum eſt, non omnia, quae parum probabilia, & veroſimilia videntur, falſa eſſe, & recte a Phaedro dictum: Frontem primam multos decipere: cum ſaepe experiamur, falſa veris probabiliora, & veriſimiliora rerum ſuperficiem contemplantibus apparere. Quo fit

ut

ut hi ſaepe falſum pro vero, & umbram pro corpore amplectantur, qui ſi in rerum medullam, & interiora penetrarent, veritatem in profundo ſitam invenirent,

Hanc inveniſſe *Cenſorinum* poſt multam meditationem in interiora Latinae linguae penetrantem exiſtimo, eamque exponere, adſtruere, & probare rationibus non contemnendis in hiſce *De Vita*, *&* *Morte Latinae Linguae Diſſertationibus*. in quibus ſi certa, & indubitata non reddit, quae de Latina lingua, & ad eam pertinentibus aſſerit; ea ſaltem valde probabilia facit, quae antea & veriſimilitudine, & probabilitate deſtituta videbantur: quaeque plerique falſiſſima reputabant. Haec vero quae *Paradoxa* indigitare voluit, illuſtrare conatus eſt, ut minus dura legentibus eſſent, eruditione ſin minus recondita (nam quid reconditum illuminato iſto, quod vocant, ſaeculo? licet idem alii omnibus barbaris ſaeculis poſt Honorium tenebricoſius appellent): certe non protrita, omnibuſque obvia, ſeu vulgari. *Philologica* autem appellat *Paradoxa* iſta, quia majori ex parte ad Humaniores litteras, ſive ad Philologiam reducuntur, licet non pauca ad Hiſtoriam Sacram, & Eccleſiaſticam ſpectent. Jam vero ut ad particularia deſcendamus: in hiſce Diſſertationibus probare nititur *Cenſorinus* contra communem opinionem: in Prima, Latinam linguam poſſe nunc temporis, ſive ea lingua *vivens*, ſive *mortua* dicenda ſit, novis, & inuſitatis vocabulis augeri, & locupletari: nulloque valido argumento ſive ab antiquorum auctoritate, ſive a ratione petito, evinci poſſe, id vetitum eſſe iis, qui hodie latine ſcribunt.

In II. contendit primò contra communem etiam opinionem: perperam appellari *mortuam*, ſive extinctam Latinam linguam eo nomine, quod jam amplius in ore Vulgi non ſit: niſi ſi dicamus, mortuam fuiſſe priſcorum Romanorum aevo. Probat etenim validis rationibus *Cenſorinus*, Romanorum Vulgus, ne in aureo quidem latinitatis ſaeculo, Latinae linguae peritum fuiſſe, eaque loqui nunquam niſi cum multis foedis barbariſmis, ac ſolocciſmis

po-

potuiſſe. Ex quo infert Latinam linguam nunquam promiſcuam Vulgo, & Viris eruditis, ſed eam in aureo, argenteo, & aereo latinitatis ſaeculo in Grammaticorum ludis, ſive privatis, ſive publicis eruditorum propria fuiſſe. Contendit ſecundo in familiari ſermone, & cum Vulgo loquentes non ea latinitate uſos viros eruditos, qua utebantur in publicis Congreſſibus, in Judiciis, ſive Actionibus forenſibus, in Epiſtolis ad viros doctos, & in Libris, quos in lucem ediderunt. Contendit demum Latinam linguam, ex quo lucem adſpexit, ſeu in vivis eſſe coepit, ne barbarorum quidem incurſionibus, & Imperii Romani occaſu poſt Honorium ad noſtra uſque tempora, ullo unquam ſaeculo periiſſe, ſive extinctam penitus fuiſſe; ſed, licet eam multis incommodis, & damnis affectam, atque aegra, ac parum firma valetudine uſque ad inſtauratas litteras, (quo tempore priſtinas vires, & valetudinem recuperavit) fuiſſe fateatur; ſpiritum tamen & vitam trahentem inter tot mala evincit, ſive ſuperſtitem remanſiſſe.

In III. Diſſertatione ſuadere conatur *Cenſorinus* (licet contrarium ſentire Criticorum nationem fere univerſam non ignoret): immerito priſcos Chriſtianos Scriptores priorum quatuor Eccleſiae ſaeculorum, quos inter numerantur Sacrae Paginae primi Latini Interpretes, ſive Latinae Vulgatae Auctores, Eccleſiae Patres non pauci, & tres ſaltem e SS. Eccleſiae Latinae Doctoribus Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus: immerito, inquam, Latinae linguae corruptores appellari: quinimmo de Latii ſermone benemeritos dici debere, eo quod ſcriptis ſuis eum, & doctiorem, & locupletiorem reddiderint, augendo ejus copiam novis & quidem ſublimibus vocabulis, quae, jure ſuo uſi, ad res novas, & antiquis Romanis ignotas enunciandas invenerunt, vel ad eas ſignificandas uſitatorum vocabulorum ſignificationem ampliarunt: idemque dicendum arbitratur de ſcholae Theologis, qui novas voces Latinas ad res & cogitationes novas ſine ambagibus, & obſcuritate indicandas in Latinum ſermonem induxerunt. Statuit praeterea: non eſſe retrahendos

dos Latinarum diſciplinarum ſtudioſos a Latinae Vulgatae Sacrae Paginae, & veterum Chriſtianorum (Patrum praeſertim, & SS. DD.) lectione parum accuratae, & defaecatae latinitatis, vel ſtili inelegantis praetextu; quin potius excitandos ad eorum lectionem ob plures utilitates, quas ex ea ſunt percepturi, ſi eam non omiſerint & in eorum ſcriptorum intimum, & genuinum ſenſum penetrarint. Cenſet enim, vix fieri poſſe, ut quis digne, & ſapienter de rebus ſacris, ac ad Eccleſiaſticam eruditionem ſpectantibus, cum opus fuerit, diſſerere eloquenti oratione valeat, niſi fuerit in ea, quam dixi, lectione verſatus.

Illud item contendit, priſcorum Chriſtianae profeſſionis Scriptorum latinitatem (de illis loquitur, qui quatuor primis ſaeculis Chriſtianae aerae, vel non multo poſt floruerunt) vel non vocandam luteam, ferream, barbaram, vel his titulis inſigniendam nonnullorum Ethnicorum aureae, argenteae, & multo plurium poſterioris aetatis, qui in honore ſunt, latinitatem.

Demum probare in ſe recipit, atque oſtendere in decurſu hujus III. Diſſertationis, hac noſtra aetate poſt reſtitutas, vel potius poſt inſtauratas litteras, plures fuiſſe Chriſtianos Scriptores, qui aeque eleganter, immo, & nonnullos, qui elegantius latine ſcripſerunt, quam nonnulli ex Ethnicis Scriptoribus aureae, & argenteae aetatis. Quo demonſtrato, demonſtratum manet, nugatoriam, riſuque vel contemptu dignam nonnullorum opinionem, qua arbitrantur, nunc temporis Latinam linguam, eo quod mortua lingua ſit, a nemine poſſe perfecte diſci, fruſtraque in ea addiſcenda laborari. Et haec in tribus primis *de Vita, & Morte Latinae Linguae* Diſſertationibus; quae omnia cum contra, aut praeter communem opinionem ſint, ac parum veriſimilia videantur, merito *Cenſorinus Paradoxa* appellavit.

Accedit IV. Diſſertatio, quae *Cenſorini* judicium continet de *Hiſtoria Critica latinae linguae* a Joan. Georgio Valchio typis edita: in qua Diſſertatione contra Hiſtoricum iſtum Criticum oſtenditur, poſt Carolum M. uſque ad inſtau-

ſtauratas litteras non eam illis ſaeculis, quae barbara vocantur, fuiſſe Latinae linguae imperitiam: non eam invaſiſſe Italorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum mentes ignorantiam, quam ipſe narrat, & ſuadere lectoribus ſuis conatur cap. 1. *Hiſt. Criticae*, exiſtimans Latinam linguam tunc intercidiſſe. Quo loco, ut moderate loquar, parum aequum Judicem ſe prodit Valchius, dum fert ſententiam contra ſapientes viros non prorſus contemnendae latinitatis, & doctrinae minime vulgaris, qui per ea ſaecula barbara librorum, & Academiarum, quibus nos abundamus, ſubſidiis deſtituti in regnis praefatis cum ingenii, & eruditionis fama floruerunt. Oſtendit inſuper, eruditum Valchium ultra modum exaggerando ignorantiam, atque barbariem IX. X, XI., & conſecutorum uſque ad XV. ſaeculorum, ſin minus contra honeſtatis, at certe contra omnes Hiſtoriae, Chronologiae, & Critices Canones enormiter peccaſſe: & cum alias ſatis bonus latinitatis Criticus, ac Hiſtoricus, & *Cenſorino*, & mihi videatur; hic loci nec bonum Criticum egiſſe, nec bonum Hiſtoricum.

Ad calcem uniuſcujuſque Diſſertationis adduntur Adnotationes ſuis numeris, ſeu Diſſertationis §§ reſpondentes; quae quidem eo fine additae ſunt, ut quae (quia obiter tacta) vel obſcura, vel parum firma videri poſſunt, robur accipiant, & illuſtrentur; loca autem §§. quae vel roborantur, vel illuſtrantur ſtellulis, ſive aſteriſcis ** deſignavi. Multa in his inveniet lector, quae legiſſe non poenitebit. Quod ad Dialogos, ſive Colloquia, quae, ut varietas delectationem afferat, Diſſertationibus ſingulis praemittuntur, attinet, illud unum praemoneo, ea ſi nimis longa, & verboſa properanti ad Diſſertationis lectionem videbuntur, poſſe a lectore, partem eorum praetermittendo, brevia fieri, hocque verboſam prolixitatem facile emendari.

Hactenus de *Cenſorini* lucubrationibus, ac de earum titulo: nunc pro *Cenſorino* ipſo nonnulla dicamus, quae Galeati, ut ajunt, Prologi loco eſſe poſſint. Et principio quidem non dubito, fore, in Hiſpania praeſertim (ſi quidem

dem

dem haec in Hiſpaniam pervenerint) quibus mirum erit, *Cenſorinum*, quem agnoverunt litterariis muniis non prorſus obſcuris illic functum, ac de gravioribus argumentis tum voce in ſcholis frequentiſſimis, tum etiam editis in lucem ſcriptis diſſeruiſſe, nunc in Italia ſtylum ſuum adeo demiſiſſe, ut de Latina lingua, parum ut ipſis videtur, ſpecioſo, nobili, dignoque, immo valde macro, triſti, exili, ac levi argumento ad Grammaticos ſpectanti, voluerit, cum ab eo majora exſpectarentur, diſputare: illudque trito ſermone proverbium illi occinent: *Ab equis ad τὰς ὄνους*: vel illud minus vulgare a Caſtrorum Romanorum ordine & militari forma ductum: *A (a) principiis ad proceſtria*, in quibus lixae, & calones verſabantur.

Si bene novi *Q. Moderati Cenſorini* ingenium, atque moderationem, hiſce admiratoribus, quibus poſſet ſummo jure agens ignorantiam exprobrare, amice reſponderet eos rogans, ut admirationem deponant, illud conſiderantes, hominum ingenia, & ſtudia ſolere temporum, & locorum variatione commutari; & unaquaeque ſuis locis, atque temporibus convenire: opportuneque eiſdem recitaret, ſi eos audiret, Ovidianum illud

Laeta fere laetus cecini, cano triſtia triſtis:
Conveniens operi tempus utrumque ſuum eſt.

Cum eram in Hiſpania addere poſſet, multos amicos opibus affluentes, litterarum amatores, quique litterariis laboribus qualibuſcunque meis delectabantur, numerabam, me hortantes ad graviora ſcribenda paratos expenſas facere editionis. In Italia nubilo ſub caelo degens nihil magis curavi, quam ut omnibus ignotus eſſem, & potentiorum etiam litteratorum limina devitarem: non equidem faſtu aliquo, ſive arrogantia elatus (quae enim in relegato arrogan-

(a) Principia *in Caſtris Romanorum erant ſpatia illa pone Praetorium, & Quaeſtorium inter duas portas, quas* Principales *vocabant: quibus in ſpatiis primarii milites locabantur.*

gantia eſſe poteſt?); ſed quadam mihi praeſtituta vitae norma, atque propoſito, quod nonnulli ſubruſticum pudorem interpretantur.

In Hiſpania libris abundabam diſciplinarum omnium graviorum, quin opus eſſet domo pedem efferre, nec ulli mortalium moleſtiam creare, ut illos cotidie, cum luberet, evolverem; hic libros perpaucos uſu detritos, male compactos, inemendatos, ſaepe mutilos, ac male tunicatos in tabulis minutorum propolarum expoſitos, & vili emptos pretio ad manus tantum habeo, quos mei juris feci, ne tempus ignavo otio marceſcens domi tranſigam, expertus ob locorum diſtantiam, & incommoda alia non facile eſſe copioſas bibliothecas adire, multoque minus frequentare. In Patria dies laetos aſpiciebam curis vacuus, mentis animique culturae unice intentus; heic mihi, & rebus meis per me ipſe conſulere debeo multaque, & agere, & pati, quibus aſſuetus non eram. In Hiſpania, addere poſſet, firma valetudine integraque aetate uſus, alacri ac tranquillo animo inter cognatos, & amicos degens multa aggredi poteram, quae nunc annis gravis, & aegritudine ac laboribus terra, marique exantlatis fractus, ne cogitare quidem audeo. Rogaret demum eos, qui majora ab eo exſpectant, ut animadvertant rerum humanarum viciſſitudines, ſive ut Vulgus loquitur, volubilis fortunae vim atque potentiam, quae tanta eſt, ut recte de ea a Juvenale dictum ſit:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul:
Si volet haec eadem, fies de Conſule Rhetor.

Illud vero adverſae fortunae turbine percitis ſolatio eſſe poteſt, quod Maro, vel Aſclepius de ea cecinit:

Nec quos clarificat perpetuo fovet,
Nec quos deſeruit perpetuo premit.

Idem longe elegantius, ſublimius, & ſuperiori quidem afflatu multis antea ſaeculis cecinerat Cantico ſuo Anna Samuelis Mater (vide cap. 2. lib. 1. *Regum* v. 6. & 7.).

Haec fortaſſe *Cenſorinus* admiratoribus ſuis. Ego autem

 qui

qui *Cenſorini* partes ago, neque eam, quam *Q. Moderatus Cenſorinus*, profiteor moderationem, dicam libere quod ſentio pro *Cenſorino* de Latina lingua ſcribente. Parum nempe in bonis litteris ac diſciplinis eſſe verſatos, atque adeo valde in Hiſtoria litteraria peregrinos eſſe oportere, qui exiſtiment, hoc quod tractat *Cenſorinus* argumentum, & leve eſſe, & parum dignum curis, & nomine *Cenſorini*. Quid enim? numne leve ac parum dignum *Cenſorino* argumentum cenſendum illud eſt, in quo verſari dedignati non ſunt viri ingenio, eloquentia, judicio, eruditione, muniis praecipuis in Republica obitis, & natalium ſplendore clariſſimi, qui de Latina lingua doctas lucubrationes edidere?

Jam vero: quis Varrone inter Romanos doctior? quis eloquentia Cicerone clarior? quis C. Caeſare judicio, ingenii acumine, nobilitate, & muniis in Republica obitis praeſtantior? Quis L. Annaeo Seneca, & Quinctiliano eruditione & praeceptis ad mentis, & animi cultum traditis, juſtaque rerum aeſtimatione illuſtrior? Quis demum veteribus Juriſconſultis ſapientia, & prudentia commendatior? qui quidem omnes, ut mittam viros alios in Romana Repub. inſignes, de Latina lingua, & verborum ſignificatione, atque origine diſputarunt, eandemque ſcriptis ſuis mirifice illuſtrarunt, quin nomen Grammaticorum, quos Romani, & Litteratos, & Criticos appellabant, refugerent. Non enim ignorabant, Grammaticam Artem, quae de Latina lingua agit, plus negotii, ut ait Quinctilianus lib. I. *Inſtit. Oratoriarum*, tractatoribus afferre, quam primo adſpectu videatur: nec eos latebat quanto in pretio Grammatici, & Romae, & in Romani Imperii Provinciis eſſent, poſtquam Romani non armis ſolum, ſed & litteris floruerunt. (Vide Suetonium de *Illuſtribus Grammaticis*.)

Quod ſi ad Chriſtianos Scriptores veniamus: non defuere viri ſanctitate, doctrina, & praecellenti in Chriſtiana Republica dignitate notiſſimi, qui idem argumentum non levi opera tractatum, atque illuſtratum in ſcriptis ſuis reliquerunt. Quos inter, praeter D. Auguſtinum, Caſſio-

ſiodorum, Venerabilem Bedam, & Carolum M., qui de Arte Grammatica ſcripſerunt, haud poſtremum locum obtinent magnum Hiſpanae Eccleſiae lumen D. Iſidorus Hiſpalenſis Praeſul, & Clariſſimus Tarraconenſis Antiſtes Antonius Auguſtinus, quibus debet Latina lingua, quod temporum injuria non perierint plura fragmenta veterum Grammaticorum illuſtrium, quae eorum diligentia ad nos uſque pervenerunt.

Horum prementes veſtigia plures viri in Hiſpania fama doctrinae celebres, eandem ornarunt Spartam: & quidem hac noſtra aetate unus ex Hiſpaniae Summatibus; ex primariis vero Togatis alter praeceptiones & Canones ad diſcendam, & docendam Latinam linguam, eademque recte utendum induſtrie ſcripſerunt. M. vero Angliae Cancellarius celeberrimus Franciſcus Baco Verulamius, cui magna incrementa Humanae Diſciplinae omnes debent, totum Librum VI. de *Dignitate & Augmentis ſcientiarum* illuſtrandae, & augendae Grammaticae, ſive Doctrinae, quam *Traditivam* vocat, impendit, & Grammaticam Philoſophicam, quam delineat, inter deſidetata ponit. Quod ſi haec omnia deeſſent, ſatis eſſet, Sereniſſimum Gabrielem Borbonium CAROLI III. Hiſpaniae noſtrae Regis (quem Deus incolumem ſervet) filium, plura ad Latinam linguam ſpectantia in Adnotationibus eruditiſſimis ad Salluſtium ab ipſo in Hiſpanum ſermonem converſum magnifica editione illuſtraſſe, ut non leve arbitremur argumentum iſtud, quod verſat *Cenſorinus*, neque indignum eorum vigiliis, qui poſſunt de argumentis aliis docte, atque copioſe diſputare.

Haec reponere poſſet *Cenſorinus* iis, quibus leve videbitur iſtud quod ſibi elucidandum ſumpſit hiſce Diſſertationibus argumentum, majoraque ab illo exſpectantibus. Si vero inſuper addiderit, neminem fortaſſis ante ſe *de Vita, & Morte Latinae linguae* pro dignitate diſſeruiſſe: ſeque ita de Latina lingua diſceptare, ut multa ad Hiſtoriam Litterariam, Politicam, Sacram & Eccleſiaſticam ſpe-

ſtantia, multa item ad Humanitatem attinentia expendat: ſi deinde adjungat, ſe veterum Chriſtianorum, qui ex Hebraeo vel Graeco ſermone in Latinum ſacros codices verterunt, Eccleſiae item PP. & SS. DD. latinitatem a Criticorum criminationibus vindicare, ac Vulgatae Latinae Sacrae Paginae Verſionis, & veterum Chriſtianorum lectionem tanquam utilem, & neceſſariam contra eorum aſpernatores ſuadere litterarum Latinarum ſtudioſis: ſi demum illud agat, ut pro doctrina, & eruditione plurium medii aevi Virorum clari nominis, Epiſcoporum praeſertim, Clericorum, Monachorum, ac etiam Laicorum, qui omnes prodigioſae ignorantiae, & imperitiae Latinae linguae, ut & inertiae, & litterarum neglectus a Lutheriano Valchio inſimulantur, luculentam Apologiam texat; non capio, quamobrem argumentum iſtud dignum non ſit, in quo verſetur *Cenſorinus*: cur item ejus labor in praefato argumento poſitus a viris doctis non commendetur. Nec plura. Interea Lector bene vale, & *Cenſorini* ſtudiis fave.

Q. MO-

Q. MODERATI CENSORINI

DE VITA, ET MORTE LATINAE LINGUAE

DISSERTATIO I.

In qua, utrum licitum, an nefas ſit, novis, & inuſitatis Vocabulis Latinae linguae copiam augere? *Praemittuntur Colloquia inter Eruditum Civem Ferrarienſem, & Hiſpanos aliquot, de rebus ad Humanitatem ſpectantibus, quae occaſionem dederunt Diſſertationi.*

§. I. INcedebant forte una, laxandi, & levandi animi cauſſa, exeunte aeſtate, ac inclinante ad veſperam die, Hiſpani aliquot per amoenum, & ſpatioſum Ferrariae murum, ulmorum, illic per intervalla ſuccreſcentium, umbra contra Solis Occidentis radios protecti; cum ad eos acceſſit Civis Ferrarienſis, eiſdem non ignotus, *Timioxenus* nomine, vir ſpectatae probitatis, multae lectionis, & doctrinae, Latinae, & Etruſcae linguae praeceptis apprime excultus, atque Hiſpani idiomatis ex frequenti cum Hiſpanis, Ferrariae commorantibus, commercio pluſquam mediocriter peritus.

§. II. Is, poſt humaniſſimam ſalutationem, ſciſcitatus ex eis eſt, numquid novi ex Hiſpania haberent? Cum reſponſum fuiſſet, nihil omnino, praeter ea, quae vera, an falſa? ab Ephemeridum Scriptoribus nunciabantur. At, inquiebat *Timioxenus*, prorſus indubitatum videtur, Regem veſtrum CAROLUM, poſt fruſtra tentatam pacem Britannos inter & Gallos, magnam parare claſſem, cum Galli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ea conjungendam ad bellum Britannis inferendum. Cui *Phronimus*, alter ex Hiſpanis, Septuagenario major, (qui, quamvis in Hiſpania, ab ineunte virili aetate, Sacris Concionibus habendis addictus, Poetas Hiſpanos, & Latinos familiares habebat) non modo, inquit, claſſem parat, ſi vera nobis narrantur, ſed paratam habet; & jam ut olim *Ceſar magnus ad altum Euphratem*, (*Virg. Georg. IV. in fine*) ita CAROLUS noſter *fulminat ad altum* Tameſim *bello*.

§. III. Et quid, ait *Timioxenus*, videtur vobis, quibus ignotae non ſunt Britannorum vires, ut veſtrae, & Gallorum de hoc bello? Cuinam bene cedet, Britanno ne, an Gallo-Hiſpano? Cui *Phronimus*: varii ſunt, ut noſti, eventus belli. Deus, ſupremus exercituum Dominus, eſt, qui palmas, & lauros impertitur, quibus bene ſibi viſum fuerit: noſtrum eſt, eum orare, ut alma Pax quam primum redeat, ne humanus ſanguis effundatur, utque belli exitus felix, fauſtuſque Hiſpanis ſit, quique ad diuturnam ſanciendam pacem referatur: nempe,

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum:
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli.
Sidera pace vigent, conſiſtunt terrea pace.
Nil placitum ſine pace Deo, non munus ad aram. cet.

§. IV. Verum ſinamus, pergebat, armatis, & bellatoribus arma tractare, de bellis agere, & bella gerere, *haec horrida bella*. Nobis ſacrae militiae adſcriptis, non alia arma tractanda, nec de bellis aliis agendum, quam quibus rebellantes animi paſſiones, quas Graeci πχθὴ vocant, Cicero *affectiones*, Theologi *concupiſcentias*, quaeque inimici domeſtici noſtri ſunt, ſubjiciamus rationi. Tunc *Timioxenus*, omiſſa de bello Britannico tractatione, ſermonem inſtituit de re litteraria, Hiſpanis illis, a litteris minime abhorrentibus, quique in Hiſpania alii, alii in America humaniores litteras, & altiores diſciplinas publice docuerant, non ingratum.

§. V. Porro miſcebantur ſermones varii de rebus ad humanitatem ſpectantibus, ne pomeridianae deambulationi intentis, nimia mentis attentione, & animi defatigatione

opus

opus eſſet, ſi graviora tractarentur. Inter alia interrogavit *Timioxenus Phronimum*, cujuſnam eſſent carmina illa de Pace, quae recitaverat, Poetae ne antiqui, an recentis? Cui *Phronimus*: non bene memini cujuſnam ſint, neque ea Poeta veteri indigna videntur. Forſitan, inquit *Timioxenus*, Albii Tibulli equitis Romani, qui CIƆIƆCCC annos, ſi paucos demas, nos praeceſſit. Recordor namque in Tibullo me olim carmina legiſſe, quibus miles ipſe bellum deteſtabatur, & pacem optabat. Sunt certe hujuſcemodi in Tibullo, inquit *Phronimus*, quae ego recitaſſem, niſi veritus fuiſſem, ne vobis tot carminibus moleſtus eſſem. Immo vero, inquit *Timioxenus*, rem pergratam, & mihi, & ut puto, Sodalibus tuis feciſſes; Poetae quippe, & delectant, & docent. Recita, quaeſo, ſi memoria ea tenes. Non puto, ea memoria avolaſſe, ajebat *Phronimus*, cum paucis ab hinc diebus ea relegerim in Tibullo, ſordibus repurgato, quem domi habeo: Ea vero ſic habent diſtichis quatuor comprehenſa:

Interea pax arva colat, pax candida primum
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvae,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent: at triſta duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
At nobis pax alma veni, ſpicamque teneto,
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

§. VI. Si me jam ſenem memoria non deſeruiſſet, haud elegantia minus, atque opportuna poſſem alia recitare recentium Poetarum, quae collegeram, & adnotata habebam in Adverſariis, quae in Hiſpania reliqui, & fortaſſe nonnulla etiam mea, quae ſuper pace domum inter Borbonicam, & Auſtriacam valde Juvenis panxi. Sed nihil neceſſe eſt mihi de me dicere, quamquam eſt id quidem ſenile, & aetatis meae privilegio uti poſſem juvenilia mea carmina laudando.

§. VII. Haec cum dixiſſet *Phronimus*, quibus adſtantes

 omnes

omnes plauſerunt; in illam diſceptationem hac occaſione deventum eſt, utrum Romanis antiquis Scriptoribus celebrioribus, cum Poetis, tum Hiſtoricis, & Oratoribus poſſimus recentes aliquos Scriptores opponere, & cum illis committere tamquam haud multum eiſdem in Poetica, Hiſtoria, & Oratoria inferiores? quemadmodum antiqui Romani in Hiſtoria C. Salluſtium Criſpum Thucydidi, T. Livium Herodoto: in Oratoria Tullium Demoſtheni: in Poetica Virgilium Homero: Catullum, & Horatium Pindaro, Anacreonti, Sapho Graecis opponebant, & tantum non exaequabant.

§. VIII. Erant illic, qui ajentem ſententiam acriter tuerentur, nonnullos, & Hiſtoricos, & Poetas ex variis nationibus proferentes, qui poſſent antiquis Romanis opponi: nec dubitabat *Phronimus*, qui ſecum ſemper ut ante meridiem (Thomam Kempenſem Graeco-latinum) juſſu & curis Excellentiſſimi Abbatis D. D. Franciſci Xaverii Idiaquez ex Granatae Ducibus Hiſpaniae Summatibus, ut Hiſpana Juventus pietatem cum Graecis litteris conjungeret, Villagarciae in lucem editum) ita pomeridiano tempore, vel Horatium, vel Caſimirum Sarbievium in marſupio ferebat, quique poterat plures utriuſque odas memoriter recitare: non dubitabat, inquam, quovis pignore contendere (quamquam id aliis parum probabatur, & jocoſam ſponſionem illi reputabant) vel Horatium ipſum, ſi reviviſceret, reſervata ſibi lyrici Latini carminis inventoris gloria, palmam conceſſurum Sarbievio: de quo affirmabat, ita Horatium imitari ſtuduiſſe, ut virtutes ejus omnes exprimeret, vitia devitaret. Addebat quin etiam, neſcio quid de Vanierii *Praedio Ruſtico* cum Maronis Georgicis comparando, deque Q. & L. Sectanis, quos Satyricis antiquis aequabat. Verum ex Hiſpanis aliis nonnulli vehementer repugnabant.

§. IX. Nihilominus Sodales duo *Hiſpano-Americani* adſtipulabantur *Phronimo*, nihil eorum judicium veriti, qui putabant, par nihil aut ſimile antiquis illis Romanis in Poe-

Poetica aetatem noſtram tuliſſe. A *Phronimo* diſſentiebant *Technophilus*, & *Polybiſtor*. quod ad Poetas attinet. Quod autem ad Hiſtoricos ſpectat, in quibus, ut in humanioribus litteris reliquis valde verſati erant, reputabant (fortaſſe ſtudio aliquo partium abrepti) Hiſtoricos Nebriſſenſem, Oſſorium, Marianam, Mignanam Hiſpanos: Maffejum, Stradam, Caſtruccium Bonamicum Italos, qui latine ſcripſerunt, non multum Salluſtio, Curtio, & T. Livio, in his, de quibus egerunt, narrandis, diſtare: Cominiumque qui Acta praecipua duorum Galliae Regum, & alterius ex Burgundiae Ducibus gallice ſcripſit, in verae Politices praeceptis, in hominum ingeniis, & characteribus deſcribendis, & maxime in veracitate, quae Hiſtorici eſt laus praecipua, Corn. Tacitum ſuperaſſe.

§. X. Marco Tullio in Latina eloquentia recentem aliquem Scriptorem nemo audebat opponere, niſi forte Aonium Palearium, Majoragium, Muretum, Perpinianum, Lagomarſinium, qui proxime ad Ciceronem dicebantur acceſſiſſe. His praetuliſſent nonnulli Petrum Bembum, Sadoletum, & Longolium, ſi minorem curam in Tullianis phraſibus, & vocibus aucupandis, atque in ſtyli Ciceroniani cortice imitando illi poſuiſſent. At *Hiſpano-Luſitanus* in Conimbrincenſi Academia olim publicus humaniorum litterarum Profeſſor, non ſolum Oſorii Sylvenſis Epiſcopi, & Achillis Statii eloquentiam in Coelum ferebat, ſed inſuper contendebat, Antonium Vieiram Luſitanum, Oratorem celeberrimum, ſi Tullii aetate vixiſſet, & forenſes cauſſas Romae egiſſet, Tullio ipſi admirationi futurum, neque inferiorem Hortenſio ejus eloquentiae emulum in Vieira habiturum. Quin etiam affirmare audebat, Franciſcum Macedum Poetam Latinum Luſitanum, non modo in Panegyricis Latinis Poematibus Claudianum ſuperaſſe, ſed ingenio, & divite vena Poetas Latinos antiquos fere omnes viciſſe. Illi ſcilicet toti in Poeſi erant; iſte autem diſciplinis omnibus ex aequo inſtructus, fatigatum feriis ſtudiis ingenium ut relaxaret, heroica preſertim car-

mina innumera de variis argumentis mira elegantia & facilitate pangebat. Demum mirabatur, neminem meminiſſe de Montano, Falconio, & Villegate Hiſpanis Poetis Saeculi XVI. in Luſitania a ſe lectis: quorum ſecundi Epigrammata nonnulla optimis, quibuſque antiquorum opponi poſſe ajebat, ac plures Villegatis Elegias dignas Poetis aurei ſaeculi reputabat.

§. XI. Qui pro antiquis Poetis, aurei praeſertim ſaeculi, pugnabant, non ita eiſdem favebant, ut nullos in eis naevos agnoſcerent. Neque vero ſuis fraudabant laudibus recentium Poetarum Latinorum opera, licet ab hyperbolis abſtinerent. Laudabant praeter Sannazarii, & Vidae carmina de ſacris argumentis, (in quibus tamen optabant, illos a fabulis, & parum veriſimilibus abſtinuiſſe) Rapini Hortos, Stephonii Dramata (cujus ingenium ad Poeſim id genus natum, & factum ajebant), Cardinalis Polignacii *Anti-Lucretium*, ac Thomae Cevae *Novo-antiquam Philoſophiam*: dolebantque, eam, ut & alia affecta reliquiſſe. Perhonorifice item loquebantur de *Halieuticis*, *Nauticis*, ac *Bellicis* Nicolai Parthenii, & *Botanicis* Savaſtani. Demum Elegiaca Hoſchii, & Jacobi Wallii, Lyrica Jonnini, & Anacreontica Caroli de Aquino haud parum commendabant.

§. XII. Caeperat a nonnullis fieri mentio variorum Poeticorum operum de argumentis, ad Theologicas, & Philoſophicas diſciplinas, ad Matheſim, ad Sacram, & Profanam Hiſtoriam, ut, & ad Mithologiam ſpectantibus Romae, Ferrariae, Venetiis, Bononiae, Forolivii, Faventiae, alibi nuper ab Hiſpanis, Hiſpano-Americanis, & Luſitanis editorum (a): verum, cum in his eſſent conſpicati *Albiſum* ſe-

(a) *Titulos operum iſtorum ac plurium aliorum ſoluta oratione, Latina, Hiſpana, Itala ab Hiſpanis per hoſce annos in Italia editorum cum Auctorum propriis nominibus dabit olim, Deo favente*, Bibliotheca Exulum Hiſpanorum, Luſitanorum, Americanorum, *quae augendae Hiſpanorum Scriptorum Bibliothecae inſervire poterit*.

ſerotinae deambulationi intentum, e regione adventantem, eidem ſeſe adjunxerunt.

§. XIII. Hunc vero, praemiſſa de more mutua ſalutatione, & breviter expoſito diſceptationis argumento, enixe rogarunt, ut quid illi videretur de controverſia illa ediceret. Ille ſubridens, quamquam potuiſſet litem dirimere, cum praeter linguarum doctarum Graecae, Latinae, Hebraicae peritiam, annos plures in celebri Hiſpaniae Academia ſtudioſam Juventutem, quae vel ſuperioribus diſciplinis operam dabat, vel eiſdem jam inſtructa erat, Humanioribus diſciplinis utriuſque generis erudiiſſet: multaque tum proſa, tum pedibus nexa oratione Latina opera typis mandaſſet: ille, inquam, neutri parti adhaerens, & reputans ad poenitendum properare, cito qui judicat: valde antiqua, inquit, & litigioſa eſt ſimilis diſputatio, & ab Horatio (vid. Horat. Lib. I. Epiſt. Ep. I.) olim apud Auguſtum de Poetis ſui temporis, & antiquis agitata, ut inter Aprum, & Meſſallam de antiquis, & recentibus Oratoribus, Dialogi fide, a Tacito, vel Quinctiliano, ut aliis placet, narrata. Adeo autem lis iſta eſt explicatu difficilis, ut, ſi de ea judicaturus ſederem, litigantes poſt exactum ſaeculum judicio adeſſe praeciperem, quemadmodum cum muliere illa Smirnea, quae, & maritum, & filium occiderat, & ejus accuſatoribus ab Areopagitis actum, cum Cn. Dolabella proconſulari Imperio Aſiam adminiſtrabat. Rem narrat Valerius: *Dictorum*, & *Factorum memorabilium*, libro, niſi ſi fallor, octavo. Quo reſponſo, Sodalibus vale dixit.

§. XIV. Incaleſcebat redintegrata diſceptatio, adductis ab unoquoque pro ſua opinione non contemnendis rationibus, & collatis pluribus inter ſe recentium, & antiquorum Latinorum ſcriptorum locis, quae memoriter recitabantur. Cui, ut finis tandem imponeretur: jam ſatis eſt de his, ſi vobis videtur, inquit *Timioxenus*: aliud namque eſt, de quo velim vobiſcum ſedate agere, voſque conſulere, quod jam aperio. Scitote, quoniam de Hiſtoria, & Hiſtoricis ſermo incidit, mihi jamdiu in animo fuiſ-

ſe

ſe (quando cernebam, non ſine magno dolore, in Italia noſtra ſenſim refrigeſcere, & in deſuetudinem abire ſtudium Latinae linguae, & in Latine ſcribendo diligentiam: cum olim, exterorum etiam judicio, propria Italorum laus eſſet, eruditas, & quidem elegantes Latinas edere lucubrationes) mihi, inquam, in animo fuiſſe, Hiſtoriam accurato Latino ſermone texere rerum, tum naturalium, tum artificioſarum ad mechanicas Artes, & ingenuas Diſciplinas ſpectantium, poſt Rom. Imperii, & linguae Latinae Occaſum inventarum: deſtitiſſe vero me ab hoc conſilio, & jam affecto opere, ſeveriſſimis Grammaticorum legibus, & Latini ſermonis inopia, qua fit, ut plura priſcis Romanis ignota, quibus idcirco Latinum nomen imponi non potuit, haud niſi barbare efferri, ſcribique poſſint. Nefas quippe eſt, ſi Grammaticorum, ſive Criticorum hodiernorum legibus ſtandum, in accurata Latina Scriptione vocabulo uti, quod in antiquo, & quidem bonae aetatis Scriptore non reperiatur, ſeu cujus teſtimonio, & exemplo tueri ſe non poſſit, qui latine ſcribit.

§. XV. Etenim, ſi cum viveret, & floreret Latina lingua, ſeu, cum in ore vulgi Romanorum erat, tanquam ſcopulum fugiendum Latino Scriptori novum, atque inuſitatum verbum praecipiebant Grammatici illius aetatis celebriores; multo ſane magis devitandum nunc, cum Latina lingua vivere deſiit, ac non aliunde, quam e libris antiquorum Latinus ſermo peti poteſt. Et idcirco pervulgatum, & receptum hodiernorum Criticorum effatum eſt: Latinae linguae jamdiu mortuae nihil prorſus addendum, nihilque in ea innovandum, ne videamur, majorem nobis arrogare velle licentiam, ea, quam habuere Romani Scriptores accuratiores.

§. XVI. Solemni huic Grammaticorum, ſive Criticorum ſcito non parum ponderis addere ſibi videbatur quod in *Tiberii Caeſaris vita* Tranquillus narrat. Qui poſtquam de illo dixiſſet, eum Artes liberales utriuſque generis ſtudioſiſſime coluiſſe, Grammaticis valde fuiſſe addictum, ac

mul-

multa Latine, & Graece compoſuiſſe, haec addit: *Sermone Graeco, quamquam alias promptus, & facilis, non tamen uſquequaque uſus eſt: adeo quidem, ut* μόνοπωλιον *nominaturus, prius veniam poſtulavit, quod ſibi verbo peregrino utendum eſſet, atque etiam in quodam decreto Patrum cum* ἔμβλημα *recitaretur, commutandam cenſuerit vocem, & pro peregrina noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum, rem enuntiandam. Militem quoque graece teſtimonium interrogatum, niſi latine, reſpondere vetuit* (*) (Vide ſis Adnot. 1. ad calcem Diſſertationis)

§. XVII. His, aliiſque permotus Ferrarienſis *Timioxenus* aeſtimabat, rerum novarum, ſeu priſcis Romanis ignotarum narrationem non niſi vulgari ſermone poſſe exarari, niſi ſi quis velit multis barbariſmis, ſordidiſque vocabulis nitidum Latinum ſermonem obſcurare: dolebatque, ad hoc, quod meditabatur opus, Latinam exercitationem, in qua non parum operae, ſtudiique poſuerat, nequidquam ſibi profuturam: cum saepe in nova, inauditaque antiquis Romanis vocabula, ſeu in barbariſmos impingendum ſit, dum res novas, ac prorſus ignotas olim, opus eſt in hiſtorica lucubratione denarrare.

§. XVIII. Ad extremum poſt plura alia in hanc ſententiam nimia, ut Columellae verbo utar, *ſcrupuloſitate* dicta, enixe eos rogabat, ut quid eis de re tota videretur, exponerent, quidque ſibi facto opus eſſet, ſignificarent. Conſtitutum quippe apud ſe habere affirmabat, ne latum quidem unguem, ut dici ſolet, ab eorum ſententia, & judicio recedere, non ignorans, ut ipſe ajebat, poſſe illos de hiſce rebus optime judicare.

§. XIX. Hiſpani, laudata viri doctiſſimi modeſtia, & incaſſum rejecto hocce ad doctiorum tribunal judicio, aſſentiebantur fere omnes ſententiae, in quam inclinare videbatur *Timioxenus*, qui eos conſulebat, rataſque habentes rationes ab eodem expoſitas, ut Etruſca lingua, omiſſa Latina ſcriptione, praefatam ſcriberet Hiſtoriam hortabantur, ne ſcilicet perirent ea, quae ad eam texendam ſe apparaſſe dictitabat. §.

§. XX. Audiebat haec tacitus, oculorum acie in terram defixa Q. *Moderatus Cenſorinus* alter ex Hiſpanis, qui in circulo erant, & ad ſeveras illas, & ſcrupuloſas Grammaticorum leges, ut ad Sodalium ſuorum judicium, nunc ſubridere, nunc naſum corrugare, frontemque caperare videbatur. Et is quidem totus in libris, (in quos emendos partem annui cenſus, ſibi ad victum, & veſtitum neceſſarii impendebat; cum omnes, quos in Hiſpania emerat, non ſine magno animi dolore amiſiſſet) non ſublimioribus tantum diſciplinis, quas publice in Hiſpania docuerat, inſtructus erat, ſed, & variarum linguarum, ſin minus peritus, non erat certe prorſus ignarus. Quod ad Latinam linguam ſpectat, fama erat, eum non aetatis ſolum aureae (*), argenteaeque Romanos Scriptores diurna, nocturnaque manu, ad eos imitandos verſaſſe, eorumdemque nixum praeſidiis Latinas non paucas lucubrationes, ab elegantia, & eruditione commendatas, multis ab hinc annis praelo mandaſſe; ſed & eos, qui ante aetates illas claruerunt, atque Latinam linguam, ex quo excoli, & in pretio haberi caepit, vel metro, vel ſoluta oratione illuſtrarunt, & locupletarunt, attente legiſſe: non praetermiſſis illis, ex quorum operibus fragmenta quaedam ſolum ſuperſunt, exſtantque in Feſto, Probo, Nonio, Chariſio, Diomede, Priſciano, Gellio, Macrobio, aliiſque antiquis Grammaticis, vel Grammatiſtis. Adeo, ut praeter Saliaria Numae carmina, Columnam roſtratam C. Duillii, leges Regias, & Decem-Virales tabulas; Andronici, Naevii, Catonis Senioris, ſive Cenſorii, Ennii, Pacuvii, Quadrigarii, Siſennae, aliorumque priſcorum Romanorum verba, atque ſententias, quae ſuperſunt, in numerato haberet, ac ceu magnum Minervae munus oſculatus amplexuſque fuiſſet, ſi quid balbutientis, rancidaeque latinitatis, Evandri ſcilicet aut Matris *Carmentae* litterarum Latinarum, ut fertur, inventricis aevo ſcriptum, vel in metallis, vel in marmoribus inveniſſet.

§. XXI. Hac latini ſermonis omnis aetatis cognitione

prae-

praeditus, aequo animo ferre vix poterat Criticorum quorumdam ſeveritatem, ſeu potius (*) audaciam, & arrogantiam, qua in cenſendis Latinis lucubrationibus in lucem editis, tamquam barbaras, minimeque latinas damnare non verentur voces aliquas, quae revera latinae ſunt. Quod quidem ab eorum ignorantia arbitrabatur proficiſci. Cenſebat praeterea, in judicandis aliorum ſcriptis, moderatione ea utendum, qua Horatius in cenſendis Poetarum operibus utebatur: ut nempe, ſi plura niteant in opere, maculas paucas diſſimulemus, memores humanae imbecillitatis: cum nihil difficilius, quam reperire in rebus humanis, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Quod monitum prae oculis *Cenſorinus* ſemper habebat, cum de lecto a ſe libro aliquo ferret judicium; & ab hac in cenſendis aliorum ſcriptis moderatione Q. *Moderatus Cenſorinus* amabat appellari. Nihilominus ante operis editionem, ſi quid ei cenſendum, emendandumque ab Auctore committeretur, notabat, vel leviſſimos, quos reperiret, defectus: quod rem gratiſſimam Auctori ſe facturum credebat, ſi ſublatis, quantum fieri poſſet, naevis omnibus, opus pulcherrimum, atque emendatiſſimum prodiret.

§. XXII. Jam vero Hiſpani Sodales, qui hominis ingenium probe norant, ſolitumque Dialecticae uſu eum, multae lectioni, ac memoriae ſuae praeſidentem, ſingularibus opinionibus, & Paradoxis in rebus ad Religionem non ſpectantibus promovendis plurimum delectari; eumdem rogabant, ut, quoniam geſtu non obſcure indicaverat, eorum ſententiam parum ſibi probari, quid opinaretur ſuper iis, quae audierat, libere expromeret: ſpondebantque, ſe, quando tunc temporis aliis negotiis vacui erant, & locus a praetereuntium frequentia ſatis remotus, eum perlibenter audituros, ituroſque porro in ejus ſententiam, ſi bonis rationibus eam ſuaderet, atque firmaret.

§. XXIII. *Cenſorinus* multa cauſſatus detrectabat illis morem gerere. Quis ego? inquiebat, aut quae in me dicendi facultas, ut poſſim de re iſta apud vos viros eruditos lon-

longa oratione (nam multa ſunt dicenda) ex tempore diſputare. Doctorum hominum eſt iſta conſuetudo, aut Graecorum Sophiſtarum, ut iis proponatur, de quo ſtatim diſſerant; quod quidem arduum negotium eſſe non ignoratis, multaque exercitatione indigere: maxime, cum ita diſſerendum, ut evellendae ſint, vel evellere oporteat ab Auditorum animis eas, quas veluti cum lacte ſuxerunt opiniones. Si ea, quae in Hiſpania ex innumeris pene ſcriptoribus collegeram, & adnotata in Commentarios conjeceram mihi in promptu eſſent, haud tam difficile mihi foret de his, aliiſque quamplurimis non prorſus inſcite diſceptare. Sed proh! dolor, Commentarios illos cum ſcriptis aliis praelo paratis, patria abeuntes amiſimus; (*) quin nobis ſit ſolatio, quod plures aliorum labores, & vigilatae vigiliae eodem fato perierint, quodque alii, uti nos, non ſibi, ſed aliis mellificaverint. Mihi quippe aliorum, Sodalium praeſertim, mala non ſolamen afferunt, ſed dolorem. Haec ille, nec Sodales poterant eum a propoſito removere. Tandem *Timioxeni*, qui eos conſulebat precibus exoratus, quae ſibi in mentem tunc venerant, candide impertiturum dixit, ſi modo in alterum ex magnis propugnaculis, muro adjectis non longe poſitum, quo remotiores ab interpellatoribus eſſent, ſe recipere vellent, illicque ſuper viridem herbam conſidere, ut minori cum incommodo, & majori cum ſilentio eum audirent. Accepta conditione, deſertum locum illum ingreſſi ſunt ſtatim omnes. Porro ut conſederunt, Q. *Moderatus Cenſorinus* ſenſum ſuum proferre ſic orſus eſt, ad *Timioxenus* converſus.

§. XXIV. Audivi non ſemel ex viris eruditis, quae a te, Vir doctiſſime, de Latina lingua dicta ſunt, atque inculcata, quaeque te ab ſcribenda de Novis Inventis Latina Hiſtoria maxime deterrent. Nec audivi ſolum, ſed probavi, cum humaniores litteras in Hiſpania docerem, communem ſuper his doctorum hominum opinionem. Verum attentius rem meditanti, & perpendenti mihi, poſtea viſum, & nunc etiam videtur, praejudicia ſua iſta, nullis firmis innixos ful-

fulcimentis Grammaticos hodiernos tueri: nec eſſe, cur ſeveros hoſce Latinae linguae Criticos, ac praeceptores, pecudum more ſequamur; non enim tantae ſunt auctoritatis, ut illis propter eorum dicta credere ſit neceſſe, quemadmodum Pythagorae Diſcipuli Magiſtro ſuo aſſentiri dicebantur.

§. XXV. Jam vero non eo inficias, Grammaticorum noſtrorum Scitis cautum, ne quid in Latina lingua, quam extinctam, ſeu mortuam, neſcio quo fundamento, volunt, innovetur, neve quid addatur. Licebat quidem ſecundum eos, cum vivebat, vigebatque Latii ſermo, quemadmodum licet nunc in quavis lingua vivente, verba, quae in uſu ſunt antiquare, noviſque inductis vocabulis eam augere: nam, ut recte Horatius in *Arte Poetica*:

Ut ſylvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Nunc vero, inquiunt, nefas eſt, Latinam linguam, quae in communi uſu jam amplius non eſt, quamque mortuam, & ſepultam appellant, novis vocabulis locupletiorem reddere (quis vero mortuam ditare velit?) ſed his contentos nos eſſe oportere, quae invenimus in aetatis aureae, & argenteae Scriptoribus, ac ab his aetatibus parum diſtantibus: quo tempore Latina lingua, a pueritia, & adoleſcentia egreſſa, ad virilem, & perfectam aetatem provecta eſt. Quamobrem, abſtinendum eſſe praecipiunt iis, quibus cordi eſt, puram, & defaecatam latinitatem ſectari a lectione eorum, qui latine ſcripſerunt poſt Hadriani, vel ut alii volunt, poſt Severi ſaeculum: a Chriſtianorum praeſertim lectione, qui plura priſcis, & probatis Romanis Scriptoribus ignota, atque inuſitata vocabula in Latinum ſermonem induxerunt, vel cum proprias lucubrationes exarabant, vel cum aliorum e Graeco, vel Hebraico in Latinum ſermonem convertebant.

§. XXVI. Hiſce praeceptis inhaerentes Latinarum vocum collectores, & ad libellam penſitatores, quos *latinitatis*

tis Libripendes vocare poſſumus; novas veterum Chriſtianorum Scriptorum voces, quas *Eccleſiaſticas* appellant, vix dignantur in Lexicis ſuis afferre, eaſque plurimum conſulto praetermittunt: proculdubio, ne illis contaminent ſcripta ſua latinitatis ſtudioſi. Quo conſilio, vel quam prudenter id faciant, ipſi viderint: cum in dubium verti nequeat, multa a Chriſtianis viris graece, & latine, ac forſan etiam hebraice doctis, vigente Latina lingua exarata fuiſſe, ut Sacrorum Librorum antiquae in Latinum ſermonem Verſiones, Acta Martyrum, Libri liturgici, Conciliorum Canones, & Inſcriptiones antiquiores. Id vero, cum nulla ſatis firma ratione faciant, mirum eſſe non debet, Latinorum antiquiorum Eccleſiae Patrum, & Doctorum Latina exempla reſpuere, eoſque audacter vocare latinitatis corruptores; licet eorum non pauci, multo nitidiore, & elegantiore Latino ſermone uſi ſint, quam nonnulli Ethnici Romani aetatis argenteae, & aureae, quorum opera magni fiunt: quod facile poſſem demonſtrare.

§. XXVII. Haec ſunt, quae paſſim audiuntur, atque inculcantur voce, & ſcriptis ab aſſertoribus purioris Latinae linguae, & elegantis puri, putique Latini ſermonis, ſi ſuperis placet, ſtatoribus. Nec verentur delicati iſti Critici inter lutulentos, ac ſordidos Scriptores referre quotquot novo aliquo vocabulo in ſuis ſcriptionibus utuntur, licet non facile illis fuerit in antiquis, quae ſunt in pretio, Romanorum operibus, voces aeque idoneas reperire, quibus ſenſa ſua, & res de quibus ſcribunt, valeant, niſi per multas ambages, & circumloquia declarare. Novi ego in celebri quadam Hiſpaniae Academia Primarium Juris Civilis Anteceſſorem, (*) virum doctiſſimum (quem ego Hiſpaniae Tarraconenſis Varronem ſolebam appellare niſi quod elegantius, quam Varro, latine ſcriberet) qui quovis pretio expuncturum, ſi poſſet, affirmabat unum, aut alterum verbum dubiae ſibi Latinitatis, quibus conſpurcaſſe ſe arbitrabatur libros doctiſſimos, & eruditiſſimos, quos ediderat, Jurisprudentiam illuſtrantes: tanta religio!

(an

(an ſuperſtitio?) haç in re inceſſerat animum viri perquam eruditi.

§. XXVIII. Et quoniam de clariſſimo iſto Juris Profeſſore Graece & Latine docto mentionem fecimus, placet hic, quando otioſi eſtis, ac ſpopondiſtis, perlibenter me audituros: placet, inquam, vobis denarrare factum, neſcio, ſeriumne, an ridiculum? quo oſtenditur, quanto vir ille ſtudio tueretur, & promovere eniteretur Latini ſermonis caſtitatem. XL. fere ab hinc annis juſta perſolvenda erant in Academia, de qua dixi, Mariae Annae Neoburgicae, Hiſpaniarum olim Reginae, Viduae Caroli II. quae paulo antea e viris deceſſerat. Senatus Academicus, quamquam erant alii, qui poſſent majori cum dignitate viribuſque majoribus onus iſtud ſubire, mihi demandavit curam lucubrandi ſepulchrales inſcriptiones, quae affigendae erant Cenotaphio, erigendo in Academiae Sacello ad juſta perſolvenda. Primarius ille Juris Anteceſſor, mihi amicitia, & familiaritate conjunctus, (qui ut aliis diſciplinis, & manuariis artibus, ingenuo homine non indignis erat inſtructus, in calamo pingendis, cum minuſculis, tum majuſculis Latinarum, & Graecarum litterarum characteribus eminebat) ſibi ſumpſit onus tranſcribendi magnis characteribus in charta imperiali, ſeu regia, ut vocant (antiqui Romani hanc chartam *Macrocolum* appellabant) inſcriptiones, quas ego lucubrarem. Fortaſſe veritus, ne parum fideliter ab illiterato pictore depingerentur: forſitan etiam, ut hoc pacto poſſet me admonere, ſi quid contra puram Latinitatem peccarem, timens, ne ego, qui tunc adoleſcens eram, adoleſcenturire, ut Laberii verbo utar, vellem, viderique adamarem ingenioſus magis, quam Latinus in illis inſcriptionibus. Mittebam ad illum nunc unam, nunc aliam inſcriptionem ut lucubrabantur, & ille eas tranſcribebat. Inter has miſi alteram, in qua conſtructio Latina erat, quae eidem diſplicebat, & parum Romana videbatur.

§. XXIX. Miſit ad me ſtatim Puerum, qui ei domi mi-

niſtrabat, non ineruditum, cum ſcripto meo, ut mihi indicaret, ſibi dubiam eſſe illam conſtructionem, rogabatque, ut viderem, num aliquod adverbium inter ſcribendum imprudens omiſiſſem, quod deeſſe videbatur. Reſpondi, mihi certum, nihil deeſſe, & conſulto adverbium illud omiſiſſe, laconiſmo utentem. Miſit rurſus Puerum, ut dicerem, in quonam bono Latino ſcriptore ſimilem conſtructionem legiſſem. Reſpondi, me proculdubio legiſſe ſimiles in bonis Latinis ſcriptoribus, ſed neſcire in quibus. Miſit tertium ſub veſperam, qui mihi renunciaret, ſe non tranſcripturum illam inſcriptionem, donec illi oſtenderem locum aliquem antiqui Romani Scriptoris, qui ea, vel ſimili conſtructione uſus eſſet, nolleque ſe, una mecum, ſubire Academicorum Criticorum reprehenſionem ob pravam illam conſtructionem: monebatque, ut mecum reputarem, ea in Academia & urbe nos verſari, in qua, vel Cocus Jeſuitarum Petrus Banſius, mihi bene notus, poterat de recta, & vitioſa latinitate judicare. Tunc, ne mihi moleſtus amplius eſſet cum ſuis ſcrupulis, remiſi puerum, qui eidem diceret, me die craſtino ejus votis ſatis facturum. Vigilavi ad multam noctem, ut reperirem ſimilem conſtructionem in aliquo ex bonis Latinitatis Scriptoribus. Tandem reperi unam & alteram ſimiles in Terentio, & Plauto: item alias in Juriſconſultis Ulpiano, & Paullo, lociſque adnotatis, miſi ad eum poſtero die praefatas conſtructiones, quibus acceptis, virum doctiſſimum, & purae Latinitatis amantiſſimum tranquillavi. Nunc in viam redeamus.

§. XXX. Si Criticis iſtis credimus, praeſtat tacere, vel res in obſcuro relinquere, quam eas novo, & inſolenti vocabulo, in Latium inducto, luce donare, quin apud eos, quidquam valeat rerum, aut vocum analogia, de qua C. Ceſar, optimus Latinitatis Cenſor, binos libros ſcriptos reliquit. Qua quidem analogia mihi, ſalvo aliorum judicio, id effici poſſe videtur, (*) ut novae voces, uſitatis non abſimiles, vel eiſdem cognatae, quae a ſuavita-

te,

te, & ſono Latini ſermonis non abhorreant, fingantur ad res novas exponendas, vel illis utamur, quibus veriſimilius eſt, uſuros fuiſſe Romanos, ſi olim res, quae nunc occurrunt tractandae, in eorum ſermonem incidiſſent. Horum ego purioris Latinitatis Magiſtris, & Ariſtarchis libenter, ut dixi, aſſentirer, eorumque judicio ſubſcriberem, ſi dicta ſua, vel rationibus, vel antiquorum Romanorum, qui Latine ſcripſerunt, auctoritate nobis probarent. At ego contendo, Romanos Scriptores praecipuos, quorum pars maxima, vivente, ac vigente Latina lingua, floruerunt, benigniores hacce in re Criticis noſtris fuiſſe, nec tam ſeveras leges unquam aut rogaſſe, aut tuliſſe (**). Contendo quin etiam, eos non vetuiſſe a tentante res novas Latine ſcribere, novas voces, vel e Graeco fonte, vel ex quavis vulgari lingua deductas adhiberi, aut ex duabus Latinis unam vocem fieri, modo, qui id facit, prudenter, & caute faciat, indolem Latii prae oculis habens.

§. XXXI. Hanc rationem qui novando tenuerit, illud curare debet, ut nova vocabula ad ſuavem, & nitidam Latinam terminationem, & inflexionem, quantum fieri poſſit, parce detorqueat, quemadmodum antiqui Romani, apud quos jus erat, & norma loquendi, facere conſuevere: ex quorum ſcriptis conſtat, eos multas voces, non Graecas modo, quod illis ſolemne erat, ſed & Sabinas, Etruſcas, Oſcas, Gallicas, Germanicas, Hebraicas, Phoenicias, Hiſpanas, Perſicas adoptaſſe, Latinaque Civitate, qua etiam nunc gaudent, plaudente Latio, donaſſe, exque duabus Latinis novam vocem junctura confeciſſe.

§. XXXII. Iſtam vero licentiam, nova cudendi pro re nata vocabula, quam ſibi ſumpſiſſe antiquiores ſe Scriptores Horatius non ignorabat, negabat ſibi & Poetis aliis ſui temporis adimi jure poſſe: praeſertim cum res novas neceſſe eſſet indiciis recentibus illuſtrare. Nec arbitror, eum aliter de his, qui latine Hiſtoriam ſcriberent ſenſiſſe, cum res novas ſibi ſumerent enarrandas. Audiatur Hora-

tius, qui in *Arte* eleganter, & nervoſe jus iſtud ſibi, & Poetis aliis vindicavit, quod invidi nonnulli eidem, & Poetis illius aetatis celebrioribus adimere velle videbantur.

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum, ſi forte neceſſe eſt,
Indicibus monſtrare recentibus abdita rerum.

Rerum rerum, ::: reliqua, quae huc faciunt carmina, memoria exciderunt, dixit *Cenſorinus*; ſed adeſt *Phronimus*, qui Horatium, vel in marſupio gerit, vel hunc locum memoriter tenet. Teneo, inquit *Phronimus*, a puero, & perlibenter recitabo, eratque animus, ſi quod verbum Horatii variaſſes, emendare. Sic pergit Horatius poſt verſus a te adlatos:

Fingere Cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia, ſumpta prudenter.

§. XXXIII. Heus *Phronime*, vereor ne, & tu memoria lapſus ſis, inquit *Polyhiſtor*, alter ex Sodalibus, parumque fideliter poſtremum verbum recitaveris: Horatius namque non *prudenter*, ut tu dixiſſe videris, ſed *pudenter* dixit. Recte mones, inquit, *Phronimus*; aliter quippe verſus non conſtaret. Perge porro, ajebat *Phronimo Cenſorinus*, neque eſt, cur in his immoremur, cum Horatii ſenſum habeamus, ſive *prudenter* dixerit, ſive *pudenter*: nam pudor in verborum novorum uſu ad prudentiam etiam utentis ſpectat. Ita eſt, inquit *Phronimus*, ſed, ſi fieri poteſt, Horatii ſententiam, ejuſdem verbis non immutatis, ut majorem fidem faciat, aequum eſt recitare.

Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi
Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
Caecilio, Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio, Varioque? Ego cur acquirere pauca,
Si poſſum, invideor, cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? licuit, ſemperque licebit
Signatum praeſente nota producere carmen.

Vis plura? inquit ad *Cenſorinum Phronimus*. Cui *Cenſorinus*,

nus, actis gratiis, ſatis eſt, repoſuit, & intuitus *Timioxenum*: vides, inquiebat, vir doctiſſime, ex Horatii ſententia, non modo licitum olim fuiſſe, ſed licitum ſemper futurum Latino Scriptori, nova fabricare vocabula, tum praecipue cum de rebus novis erit ſibi ſcribendum.

§. XXXIV. Quo viri de optima Latinitate benemeriti judicio praeoccupatum mihi videtur, quod tentari poſſit a Criticis noſtris effugium, qui dicant, licitum quidem fuiſſe, cum viveret Latina lingua, & vigeret vulgaris ejuſdem uſus: (*) ſublatam vero hanc licentiam, poſtquam vulgaris, & communis eſſe deſiit Latinus ſermo, & alius ejus in locum ſubſtitutus. Quod ſi opinionem ſuam, Horatianae manifeſto repugnantem, mordicus tueri pergant, ſaltem a quo ſublatam hanc licentiam, & quonam tempore nobis dicant? Quod quidem cum praeſtare non poſſint: ignotum namque eſt, non modo, quo anno, ſed etiam quo ſaeculo communis, & vulgaris eſſe deſierit pura Latina lingua (ſi tamen communis, & vulgaris unquam fuit); ſinant, nos Horatii magis dicto audientes eſſe, quam eorum Scitis obtemperare.

§. XXXV. Quid? Quod nullum proferre poſſunt aureae vel argenteae, vel his proximae aetatis Romanum Scriptorem, a quo ſolemne illud diſcrimen inter viventem, & ſatis functam Latinam linguam factum fuerit. Quod ſi proferre poſſent; adhuc rogatos volumus, ut oſtendant vel Edictum Praetorium, vel Senatus-Conſultum, vel Plebis-Scitum, vel legem aliquam ab uno aliquo ex ſuperioribus Romanis Magiſtratibus, quibus jus ferendi leges erat conceſſum, latam, qua cautum ſit, ne quis novis, & inſuetis vocabulis Latinam linguam, quae in communi uſu non ſit, augeat, quamvis eam augere liceat, dum in uſu ſit: vel potius, ne quid mortuae Latinae linguae addatur, ſeu novis vocabulis augeatur. Nullum profecto afferent hujuſmodi legitimum Scitum, cum nunquam Romanis antiquis in mentem venerit, Latinam linguam olim perituram, ſeu e vivis deceſſuram: quin potius pro certo Ro-

mani habebant, eam cum Romano Imperio, quod vel fatali quadam neceſſitate, vel Jovis voluntate, aeternum fore praedicabant, perennaturam. Noſtis, quid Maro Jovis nomine de Romanis ſui temporis cecinerit: *AEneid. I.*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi:

Quod quidem, & de Romanis, & de eorum lingua, qua ſcribendae erant leges, quibus Orbi imperitarent, intelligi proculdubio poteſt, neque Virgilium puto contra eventurum credidiſſe. Quid Horatius? An non iſte aeternum victura ſua Latina carmina, & numquam non legenda, arbitrabatur, dum immortalem ſibi ab Lyricis verſibus promittebat gloriam? Cum nempe canebat: *Ode XXIV. lib. III. ſecundum Juvencii editionem.*

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

§. XXXVI. Quid? an non Ovidius de ſuis Latinis Operibus idem vaticinatus eſt, cum cecinit in librorum *Metamorphoſeos* peroratione

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas:
Quaque patet domitis, Romana potentia terris
Ore legar populi, perque omnia ſaecula fama,
Si quid habent veri vatum praeſagia, vivam.

Qua etenim ratione ſperare tandem poterat, ſe, ſuaque carmina aeternum victura, & in ore populi futura, niſi crediſſet, Latinum, in quo ſcribebat, ſermonem aeternum etiam futurum, ſeu nullo aevo moriturum.

§. XXXVII. Sed audio jam *Phronimum*, qui tantum non totum Horatium memoria tenet, mihi objicientem hujus Poetae locum, ex quo facili negotio, & conjectura non levi, elici poteſt, eum Latinae linguae interitum, vel divinaſſe, vel, ſi licet hoc uti vocabulo, *prophetaſſe.* Divina-

naſti, & tu repoſuit *Phronimus*: nam in animo erat, niſi praeveniſſes, bona tua venia, te interpellare, ut nobis Horatii locum enodares, quem tibi, & Horatio ipſi in *Odis* contradicentem arbitrabar: ait enim in *Arte*:

Mortalia facta peribunt;
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

§. XXXVIII. Ipſiſſima haec ſunt carmina, inquit *Cenſorinus*, quae te mihi objecturum putabam; at haec non indicant, exiſtimaſſe Horatium, interituram penitus Latinam linguam, ſed multa in ea temporis decurſu immutanda: & ita quidem, ut multa, quae tunc erant in pretio vocabula, in deſuetudinem eſſent abitura, & eorum in locum, ea, quae olim uſitata erant, & tunc erant antiquata, parumve uſitata, ut multa Andronici, Naevii, Catonis, Ennii, uſu ſic volente, ſubrogatum iri, quod videtur Horatii, & Ciceronis tempore tentatum a Salluſtio, & Varrone, qui antiquis non paucis vocabulis, Varro imprimis, in ſuis operibus uſi ſunt.

§. XXXIX. Sed quoniam non ſunt omnia ad vivum reſecanda, vel nimium urgenda, demus liberaliter, Romanos Scriptores aliquot claſſicos arbitratos, Latinam linguam vulgarem, ſeu communem, ut tunc erat, non futuram: demus, eventurum, putaſſe, quod Naevius Poeta, ſe mortuo, praedixit, eventurum, quodque campana ſuperbia ſepulchro ſuo inſcribi voluit, ut obliviſcerentur Romani Latine loqui. Naevii Epithaphium, (ut nihil diſſimulem, quod pro interitu Latinae linguae dici poteſt) eſt hujuſmodi:

Immortales, mortales, ſi foret fas flere,
Flerent divae Camaenae Naevium Poetam:
Itaque poſtquam eſt orchio traditus theſauro
Obliti ſunt Romae lingua Latina loquier.

§. XL. Demus tandem (ſi optatis, me omnia, quae contra

me

me facere videntur, vobis largiri) demus, inquam, illud decantatum a Criticis hodiernis diſcrimen inter linguam *viventem*, & *mortuam* intercedere ex Grammaticorum aliquot Romanorum decreto, eoſdemque caviſſe, ne Latinae linguae, aut cuivis alteri, dum mortua, & in communi uſu non eſt, aliquid addatur, neve novis ea, vel inuſitatis vocabulis augeatur, quamvis dum viveret, eam augere liceret, ſeu novis vocabulis locupletare. An propterea non licebit nobis ab horum ſententia ad rationis tribunal, atque ad majorum exempla provocare? Profecto non ignorabat Horatius, quid C. J. Caeſar in libris de *Analogia*, ſeu de lingua Latina (nam de hac in libris illis agebat) quid, inquam in hiſce libris, Ciceroni inſcriptis, nobiliſſimus iſte Grammaticus praecepiſſet. Verba Caeſaris ex lib. I. haec ſunt: *Habe ſemper in memoria, atque in pectore, ut tamquam ſcopulum, ſic fugias inauditum, atque inſolens verbum*; & tamen Horatius a Dictatore C. J. Caeſare inſigni Critico, & excellentis ingenii, & prudentiae Viro, ad Rationem, & Exempla majorum provocans, contrarium ſenſit, docuitque, ac nova ipſe fabricare vocabula non dubitavit.

§. XLI. Idem praeſtitiſſe non paucos Romanos Scriptores, & quidem non proletarios, qui ea tempeſtate floruerunt, praeter Horatii teſtimonium, ex eorum Scriptis conſtat, quos proculdubio non latebat, quae C. Caeſar, vel ex propria, vel ex aliena ſententia praecepiſſet. Quae cum ita ſint; cur nos tam religioſi, aut ſuperſtitioſi Sciti illius, ac Praecepti obſervatores eſſe debeamus, plane non video: neque cur nefas, flagitiumque putemus, eidem refragari, nova cudendo vocabula, cum deſunt antiqua, & uſitata, vel cum non adeo ſignificantia ad res, cogitationeſque declarandas in purioris Latinitatis Scriptoribus reperimus. Quod ſi Decretis iſtis Grammaticorum obſtrictos ſe ſe priſci Romani Scriptores credidiſſent: ſi adeo inviſa fuiſſet eiſdem vocabulorum novitas, innumeris nunc careret Latina lingua vocabulis, quibus illi Latinum ſermo-

monem locupletarunt, ac non parum illuſtrarunt. Locupletavit illum, Horatio teſte, Ennius, locupletavit Plautus, ditavit Caecilius, & qui non ex antiquis Romanis Poetis, Hiſtoricis, Oratoribus, qui, adoleſcente Latina lingua, fama nominis ſui clari fuerunt? Eiſdem debet Romanum eloquium dictionum illam copiam, qua Graecam linguam, M. Tullii, & aliorum judicio, ſuperavit, & plurimorum opinione ſaltem exaequavit.

§. XLII. Jam, ut ab his ſe expediat, dicet mihi fortaſſe quiſpiam: licitum quidem fuiſſe, nova inducere in Latinum ſermonem vocabula, cum adoleſcebat Latina lingua; non vero, cum ad confirmatam, ac veluti virilem aetatem provecta erat: quo tempore C. Caeſar libros ſuos de *Analogia* promulgavit, dumque nova, & inſolentia vocabula, tamquam ſcopulum a Latino Scriptore devitanda praecipiebat. Periculum quippe eſt, ne dum opus jam perfectum, numeriſque omnibus abſolutum, quippiam addendo, vel detrahendo, perfectius, & abſolutius reddere diſcupimus, vel deformemus, vel corrumpamus. Quam forſitan ob rem Tiberius Caeſar nolebat, in Senatu praeſertim, peregrina verba, ne Graeca quidem, etiam cum Latina deeſſent, ad rem ſignificandam uſurpari.

§. XLIII. Si haec vera ſunt, cur ea ipſa Caeſaris aetate, in qua perfectionis apicem, & metam Latinus ſermo jam attigerat, tam multa, vel nova, vel inuſitata, & inaudita verba Latina a M. Varrone Romanorum omnium doctiſſimo, a C. Salluſtio inſigni Hiſtorico, & Thucydidi, ſi Quinctiliano credimus, non impare, a Corn. Nepote, a M. Tullio; (& ab hoc quidem, quod miremini, plaudente Caeſare, qui eum appellat copiae Latinae linguae Inventorem, & Principem) inventa ſunt, & in Latium inducta? Cur etiam nonnulla a Varo, & Virgilio? Cur ab Horatio alia? Haec, ſi quis attente ſecum, ſepoſitis praejudiciis, reputet, exiſtimabit, opinor, vel C. Caeſarem, non ex propria ſententia loquutum, aut re melius perpenſa, in aliam poſtea ſententiam abiiſſe: prae-

ſer-

ſertim, cum haud paucis Latinis vocabulis, ſua aetate inſolentibus, & novis etiam ipſe uſus fuerit, tum in libris de *Analogia*, quorum fragmenta ſolum ſuperſunt, a variis Grammaticis collecta, tum etiam in *Commentariis*, quos de rebus ſuis ſcripſit. In his quippe, non ſolum vocabula aliquot, ex linguis aliis accepta, Latina fecit, ſed non paucis novis, & ab aliis minime uſitatis Latinae Orationis conſtructionibus uſus eſt; & tamen ejus *Commentarii* omnium manibus teruntur, & multis laudibus ab antiquis Scriptoribus celebrantur.

§. XLIV. In libris vero de *Analogia* Latinum fecit *Ens*, uti Tullius *Eſſentia*, a Verbo *Sum es eſt* derivata: quae vocabula nemo ullus ante Caeſarem, & Ciceronem (*) auſus fuerat uſurpare. Fortaſſis unus, aut alter, & quidem raro ex antiquioribus Romanis Scriptoribus *hujus die*, *facie*, *ſpecie* in patrio caſu, pro hujus *diei*, *faciei*, *ſpeciei* dixit, aut ſcripſit: verum Caeſaris aetate inſolens erat ea inflexio, ac prorſus inuſitata, & tamen ille in libris de *Analogia* haec quintae inflexionis nomina, *dies*, *facies*, *ſpecies* ſic inflectenda eſt arbitratus. *Arena* nomen Latinum plurativo numero deſtitutum, exiſtimavit vir idem doctiſſimus, & Latinae linguae peritiſſimus; & nihilominus P. Virgilius Maro, non minus quam Caeſar in Latino ſermone eruditus, pluraliter inflectere, ſeu plurali numero donare, non eſt veritus, cum cecinit

Quam multae Zephyro turbantur Arenae.

§. XLV. *Quadrigae* contra idem Caeſar::: Cum in his eſſet *Cenſorinus*: Heus *Cenſorine*, inquit *Technophilus*, niſi tibi moleſtus interpellator ſim, gratias tibi maximas, quas poſſum, ago, quod verba *Ens*, & *Eſſentia*, quibus in Schola ſaepiſſime utimur, & in libris Metaphyſicorum, & Theologorum nuſquam non occurrunt, a barbariſmi nota liberaveris, harumque vocum Auctores C. J. Caeſarem, & Ciceronem repereris: nam delicati quidam Critici in Hiſpania vix, niſi petita venia, uti olim Tiberius in Senatu, cum aliquod Graecum verbum, inter loquendum uſurpabat,

bat, illis vocabulis, in publicis Scholae Concertationibus uti volebant, ne Barbari viderentur. Nec minores tibi debentur gratiae, quod *Arenas* plurali numero dici poſſe, Virgilii teſtimonio, oſtenderis. erat etenim non nemo in Hiſpania noſtra (quae ut Italia Latinum nomen in vulgari ſermone retinet) qui (*) *Arenas* efferre non audebat plurativo numero, quod ſingulare habere tantum ſibi perſuaderet, utpote omnino Latinum.

§. XLVI. Nec plura: perge nunc *Cenſorine*, ſi lubet, cum, vel in *Quadrigis* tuis, aut Caeſaris, ut minore cum defatigatione valeas inceptum tuum iter conficere, & ad metam pervenire. Pergam perlibenter, repoſuit *Cenſorinus*, cum Caeſaris *Quadrigis*, quas ille *plurativo* numero tantum, ut antiquorum Grammaticorum verbo utar, efferri debere docuit in praefatis de *Analogiae* libris, quin propterea M. Varro, Caeſaris aequalis, ſeu ejuſdem aetatis Scriptor doctiſſimus, quique quatuor, & viginti libros de *Latina lingua* Ciceroni inſcriptos exaravit, aut piaculum, aut nefas duxerit *Quadrigam* ſingulari numero dicere in Satyris ſuis.

§. XLVII. Et iſte quidem ſingularis numerus, non inſolens minus, atque inuſitatus erat Varronis, & Caeſaris aetate, quam *Luta* in plurali numero, quo Caeſar uſus eſt a nomine *Lutum*, quamquam nominibus *Coelum*, *Triticum*, *Arena* talem numerum denegarit.

§. XLVIII. Quid plura? Nemo ullus ex purae, & elegantis Latinitatis ſtudioſis, & ſectatoribus fortaſſe nunc invenietur, qui *Aſpectu*, *Senatu*, *Vultu*, in caſu dandi utatur, aut *turbonis*, pro *turbinis*, *pollen* pro *pollis*, aut *panium* pro *panum* a *Panis*, *partum* pro *partium* a *Pars*, quamvis Caeſar ſic inflectenda nomina illa *Turbo*, *Pollis*, *Panis*, *Pars* exiſtimarit: nemo demum, qui pro *Neceſſitudine*, dicat *Neceſſitatem*, quo vocabulo Caeſar uſus eſt, cum Plautiam rogationem ſuaderet.

§. XLIX. Infinitus, & moleſtus vobis eſſem, ſi perſequi vellem omnia, in quibus a Caeſaris de Latina lin-

gua

gua Praeceptis provocatum eſt, vel ad aurium, vel ad rationis judicium vel ad contrariam conſuetudinem, quae Caeſaris vigebat aetate, a qua Romani Scriptores recedere noluerut; tametſi C. Caeſari in Latino Sermone elegantiam non negarent; & quantumvis in aliis Dictatoris perpetui legibus, ad Reibub. Regimen ſpectantibus obtemperarent. Potuit ille quidem legibus ſuis Romanae Reipub. ante eum liberae, tyrannidis jugum imponere: at impetrare non potuit, quod pro viribus eſt conatus, ut conſonantem litteram V digammate ÆEolico Romani exararent, ut una ſaltem littera Latinum Alphabetum augeret; cum Spurius Carbilius, obſcurus Grammaticus, qui Romae ludum aperuit, mercede Latinam Grammaticam docens, aſſecutus id fuerit, ut a ſe inventam *G.* litteram Romani adoptarent, cum olim *C.* pro *G.* littera uterentur. Ut mihi quidem videatur, C. Caeſarem, inſignem illum, Rom. Imperii conditorem, feliciorem fuiſſe in condendis legibus, quibus novum Reip. Romanae ſtatum ordinaret, atque conſtitueret, quam in his, quas in libris de *Analogia* tulit de ordinanda optima Latinitate. Quod, ſi hac in re Latini aetatis aureae ſcriptores C. Caeſari de Latina lingua, quam inſtitutionibus ſuis, & elegantiſſimis aliis ſcriptis illuſtravit, optime merito, obſequi detrectarunt; quanto minus putatis obſequuturos judicio, & voluntati Claudii Tiberii Neronis, ſecundi C. Caeſaris in Imperio Romano ſucceſſoris, qui ob vinolentiam, & vitia alia, quibus Imperatoriam purpuram faedavit, *Caldius Biberius Mero*, novis Latinis vocabulis, appellabatur, & cujus nulla ſcripta ſuperſunt, quae, ut ait Tranquillus, affectatione, & nimia ſtyli moroſitate obſcura erant: ut mittam eum, non ſola voce *Monopolium*, ſed, & infami, & nefando *Spintria* vocabulo Latinum ſermonem auxiſſe vel corrupiſſe.

§. L. Sed de his jam nimium fortaſſe multa. Reliquum eſt, ut perſequamur alia, quae de Vita, & Morte Latinae linguae, quam ego non modo non extinctam, ſed, & vigen-

gentem, & expedite loquentem adhuc, niſi me fallant oculi, ac aures, & aſpicio, & audio: quae item de priſcis Chriſtianis Scriptoribus, & Eccleſiae Latinae Patribus, quos ego non corruptores, ſed auctores potius Latini ſermonis copiae (*) fuiſſe arbitror, mihi dicenda ſuperſunt. Verum, quoniam, ut videtis, nox appetit, & ſatis abuſus ſum patientia veſtra, nolo vos diutius morari, protrahendo ſermonem.

§. LI. Ex hactenus dictis facili negotio conjicere poteſtis, quam immerito nuperi Critici tam ſeveras leges de non augenda novis, inſolentibuſque vocabulis nunc temporis *Latina lingua*, vel tulerint, vel rogarint; cum nec ratio, nec commune antiquorum Romanorum, qui Latinam linguam excoluerunt, judicium, nec majorum exempla illis faveant, ſed contra eos (*) militare videantur. Quam immerito item vir iſte doctiſſimus, qui vos conſulit, harum legum ſeveritate deterritus, ab ſcribenda Latine, ea, quam jam pridem meditatur, Hiſtoria, deſiſtere cogitet: quam immerito demum vos, ut Latina Scriptione ſuperſedeat, eidem conſulatis. Ego ſane, ſi quid apud eum mea dicta valeant, ſemper illi ſuaſor, & auctor ero, ut exemplo ſuo Italos excitet ad excolendam Latinam linguam, Hiſtoriam, quam habet in manibus Latino ſermone ſcribens, quamvis illi opus ſit novis, & inuſitatis vocabulis uti. *Habet* nempe in hoc *bonorum exemplum, quo exemplo ſibi licere, id facere, quod illi fecerunt*, ſi Terentium (in *Heautont.* Prologo) audit, dubitare non debet. *DIXIT*: omneſque, qui aderant *Cenſorino* gratias agentes, eidemque ex animo plaudentes probam, ratamque habuerunt ejus opinionem: adeo ut, mutata ſententia, Ferrarienſi Hiſtorico *Timioxeno* auctores fuerint, ut Latinam ſcriberet, publicique juris faceret ſuam de *Novis Inventis* Hiſtoriam, quod ille facturum, eorum fretus judicio, in ſe recepit. Quoniam vero cupido eum inceſſerat audiendi alia, quae *Cenſorinus* de Vita, & Interitu Latinae linguae, deque Latini ſermonis copia, a Chriſtia-

ſtia-

ſtianis Scriptoribus antiquis aucta attigerat, hunc enixe, una cum ſodalibus Hiſpanis rogavit, ut primo quoque tempore ea in locum illum, vel in alium opportuniorem convenientibus eiſdem non gravaretur exponere. Tandem, vale invicem dicto, ſoluta eſt concio, & unuſquiſque dubia jam luce ad aedes, quas incolebat, remeavit, non ſine ſpe *Cenſorinum* iterum audiendi.

ADNOTATIONES RESPONDENTES §§., SEU NUMERIS DISSERTATIONIS I.

Adnotatio I. reſpondens Num. XVI.

V*Eriſimile eſt, Romanos rerum Dominos, multum ſtudii, & operae poſuiſſe in propaganda per Imperii Provincias Latina, ſive Romana lingua, quod & affirmat S. Auguſtinus lib. V.* de Civitate Dei, *cujus dictum in alia Adnotatione afferemus, & heic indicat Suetonius de Tiberio agens. Et quidem vix crediderim, Romanos Praeſides, & Judices, in Provinciis judicia exercuiſſe, & ſententias alio, quam Latino ſermone protuliſſe. Hanc opinionem meam poſtea legi in* Dialogo de Latina lingua *a celebri Juriſconſulto Jano Vincentio Gravina edito: in quo inducit Emmanuelem Martinium Hiſpanum ſic loquentem de Latina lingua*: Praecipue vero propagata eſt, & conſervata legibus, atque judiciis: neque enim licebat, lege agere, aut in judicio reſpondere apud Rom. Magiſtratum peregrina lingua, neque fas erat Magiſtratibus in provinciis jus reddere, niſi Latine. Solemnes autem formulas vetitum erat peregrina lingua corrumpere. Nam quiſquis formulas & verba civilia labefactaſſet, is, neque contrahebat obligationem jure civili, neque diſſolvebat, nec haeredem recte inſtituebat. *Haec in dicto Dial. Gravina. Quae mihi perſuadent, probabile eſſe, CHRISTUM, a ſummis Sacerdotibus Judaeorum ad Pilati tribunal adductum, a Praeſide Latino ſermone interrogatum fuiſſe, eundemque, (cujus doctrina Pilato ignota non erat) utpote qui non ignorabat*

Cae-

Caeſaris voluntatem, Latine reſpondiſſe. Accuſationem item a Sacerdotum Principibus Latine factam, & ſententiam a Praeſide Pilato extortam Latino ſermone conſignatam fuiſſe. Neque enim Pilatum fugiebat, Tiberio Caeſari, ſub quo Judaeam adminiſtrabat, Latinum ſermonem adhiberi in Actis praeſertim publicis, & judicialibus placere. Haec adnotavi, ut oſtenderem, non abſurde, & temere affirmaſſe Inchoferum Jeſuitam Germanum, CHRISTUM nonnunquam latine locutum, & immerito hanc ejus opinionem a Valchio irrideri. Vid. Valer. M. lib. 2. cap. 2. numero 2.

Adnotatio II. reſpondens num. XX.

Quinctus Moderatus Cenſorinus, *interrogatus de AEtatibus Latinae linguae, reſpondit ſibi non probari diviſionem AEtatum factam in ſuo Lexico a doctiſſimo Jacobo Facciolato: ſecundum quam AEtas aurea incipit ab anno Urb. Cond. DXIV, & deſinit in an. Chriſti XIV qui eſt Urb. Cond. DCCLXVII. Argentea vero ab hoc anno ad an. Chriſti CXVII. protenditur. Ab hoc anno uſque ad Honorium recenſetur AEtas aenea, ac deinceps ferrea, & lutea. Non probabatur, inquam,* Cenſorino *haec diviſio. Ab anno enim Urb. Cond. DXIV. uſque ad Ciceronis ortum non pauci Latini ſcriptores numerantur, quorum opera, quae ſuperſunt, ſi cum ſcriptis veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum, quae Facciolatus AEtatibus aenae, ferrae, & luteae adſcribit, conferantur; haec aurea: illa ferrea, & lutea videbuntur cuilibet aequo rerum aeſtimatori. Ajebat itaque, hac in re ſtandum communiori opinioni, quae ſtatuit AEtatem auream Latinitatis in tempore, quod fluxit ab ortu Ciceronis ad obitum Auguſti.*

Adnotatio III. reſpondens n. XXI.

Vix dici poteſt, quam, vel imperitus, vel parum aequus in cenſendis celebrioribus Latinis ſcriptoribus, cum antiquis, tum recentibus Gaſpar Scioppius fuerit, eis inurens notam Barbariſmi, & Soloeciſmi, ne Ciceroni quidem parcens. Valchius moderatius de Cicerone loquitur, & ſolum ait, nonnulla vocabula, quae in Ciceronis operibus leguntur, labem aliquam afferre caſtitati Latini ſermonis. Nonnulla excuſat, eo quod

exploratum non ſit, Ciceronis eſſe, & mendum non irrepſiſſe in Ciceronis apographa ſcribarum inſcitia. Verum plura, quae affert, vel ab ipſo, vel ab aliis collecta, vere Latina dici debent, licet nova, & a Cicerone inventa ad augendam copiam, & ſublevandam inopiam Latini ſermonis. Ante Ciceronem nemo uſus fuerat voce Moralis *pro* Ethica, *ſeu* Diſciplina morum, *& ſe Cicero profitetur illius vocis inventorem ad augendam Latinam linguam initio Libri* De Fato.

Adnotatio IV. reſpondens num. XXIII.

Terentius Romam rediens, taedio confectus obiiſſe dicitur, quod in naufragio, ex quo incolumis evaſerat, amiſiſſet Comoedias, in Graecia, quo Roma abierat, a ſe lucubratas. Cenſorinus, *Chriſtiana virtute ſe involvens, dum in naufragio omnia ſcripta ſua, & alia amiſit, non putavit, ea tanti eſſe, ut taedio ſe confici debere arbitraretur.*

Adnotatio V. reſpondens num. XXVIII.

Juris civilis Anteceſſor, graece, & latine doctus, de quo heic Cenſorinus, *erat D. D. Joſephus Fineſtres, & de Monſalvo, Civis Barcinon. Regiae, & Pontif. Academiae Cervarienſis in Catalonia Profeſſor Emeritus, & ſaepe ejuſdem Academiae Moderator. Obiit nonagenarius prope Cervariam an. Chriſti 1777. cum typis mandaſſet plura opera, quibus Jus civile, & Cataloniae antiquitates eleganti Latinitate, & omnigena eruditione Graeca, & Latina illuſtravit. Edidit nempe pluribus voluminibus in 4. Exercitationes, & Praelectiones Academicas, librum de Jure dotium, Commentarios in Hermogenianum, Syllogem inſuper inſcriptionum Romanarum Cataloniae cum luculenta difficiliorum explanatione. Sunt demum ejuſdem plura carmina Latina ſparſim edita ſine nomine Auctoris, ut etiam plures Latinae epiſtolae inter Majanſianas. In juſtis perſolutis viro doctiſſimo ab Academia, defuncto parentavit eloquenti oratione ejus Alumnus D. D. Lazarus de Dou, & de Baſſols Barcinonenſis, Juris Pontificii in eadem Academia publicus Profeſſor. Oratio funebris ab eo habita, typis Academicis, ex Senatus Academici decreto, edita exſtat. Haec adnotare placuit in gratiam eruditorum Italorum, qui ſilentio vel incuriae Hiſpanorum*

tri-

tribuunt, quod ipſi rerum noſtrarum ignari ſint: neque enim in re litteraria illud forſitan probant, nec in laude ponunt. Plurima facere, & minimum de ſe loqui.

Adnotatio VI. reſpondens num. XXX.

Haec confirmare potuiſſet Cenſorinus *teſtimonio Quinctiliani lib. I. Inſtit*: Analogia, *inquit*, quam proxime ex Graeco transferentes in Latinum proportionem vocaverunt. Haec eſt ejus vis, ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet.

Adnotatio VII. reſpondens eidem num. XXX.

Cicero in Oratore *Lib. I. inducit Craſſum, ſic loquentem*: Poſtea mihi placuit, eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum Oratorum Graecas orationes explicarem, quibus lectis, hoc aſſequebar, ut cum ea, quae legerem graece, latine redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.

Adnotatio VIII. reſpondens num. XXXIV.

Cellarius vir diligentiſſimus collegit vocabula Latina ſub Tiberio, & ejus ſucceſſoribus, uſque ad finem aetatis argenteae inventa. Alia inſuper, quae in AEtate aenea uſque ad Honorium inventa fuere, AEtatis argenteae, ſecundum eum, ſunt Adverſitas, Adunare, AEgritudo *de corpore*; An An, Confiſcare, Corporalis, Incorporalis, Crucifigere, Decollare, Favorabiliter, Impatienter, Nimietas, Salvator, Subjugare, Verſari circa rem. *His addi poſſent multae voces Eccleſiaſticae, ſeu a Chriſtianis Scriptoribus per ea tempora inventae: quae cur AEtatis Argenteae non ſint dicendae, plane non video. Quinctilianus de ſuo tempore loquens, ait*: Quid multa? totus pene mutatus eſt ſermo. *lib. 8. Inſtit. cap 3. Ego ſane in ſolis vocabulis Latinis, incipientibus ab A. ſine magna diligentia inveni pluſquam ſexaginta mutationes in terminatione, inflexione, genere, conſtructione, conjugatione, & ſignificatione*.

Adnotatio IX. reſpondens num. XLIV.

Ante J. Caeſarem, & Ciceronem Romani carebant vocabulis,

lis, quae reſponderent Graecis verbis ὄν, *&* οὐσία. *Pro primo Caeſar, Priſciano teſte,* Ens *invenit. Seneca Epiſt. 59. quae eſt prima libri octavi, facit Ciceronem Auctorem hujus vocis* Eſſentia, *reſpondentis voci* οὐσία *Graecorum. Verum Quinctilianus lib. 8. cap. 3.* Inſtit. *illas voces inventas tradit a Ser., & Flavio:* multa, *inquit*, ex Graeco formata a Sergio (*forte legendum Servio*) Flavioque, quorum dura quaedam admodum videntur, *ut* Ens, & Eſſentia. *Si male non memini, in prima editione Grammaticae Antonii Nebriſſenſis, dicatae Eliſabethae Hiſpaniae Reginae, editae antiquis, & inuſitatis nunc characteribus, verbo* Sum es eſt *tribuitur participium praeſentis temporis* Eſſens. *Hanc Grammaticam vidi in Hiſpaniae quadam Bibliotheca, quae erat Collegii, tunc Jeſuitarum, cum Latinas litteras docerem Adoleſcens. Carebant item Romani ante Ciceronem vocibus Latinis reſpondentibus Graecis* μεσότης, *&* ἀστυκὸς, *pro quibus finxit Cicero* Medietas, *&* Urbanus. *Perplura alia invenit Tullius nova Latina vocabula, quibus deſtitutus erat Latii ſermo: & Seneca teſtatur Epiſt. jam citata, ſuo tempore innumera eſſe ſine Latino vocabulo, quae tamen graece efferri poterant; ut mirum mihi ſit a Cicerone affirmari, Latinam linguam magis copioſam effectam, quam eſſet Graeca. Quinctilianus; qui, ut dictum eſt, Inventores fuiſſe Vocum* Ens, & Eſſentia, *ait Sergium, & Flavium, ut etiam aliarum ex Graeco formatarum, addit:* Quae, cur tantopere aſpernemur, nihil video, niſi quod iniqui Judices adverſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus.

Adnotatio X. reſpondens num. XLV.

Is ex illis erat, qui etiam in Vulgari ſermone nimium moroſi, Critico ſupercilio omnia verba examinant, & notant, ſi quid in familiaribus colloquiis contra communem uſum profeଘratur. Ajebat, in nonnullis Hiſpanis locutionibus in uſu non eſſe, uti plurativo numero Arenas, *ut cum dicitur* un monton: una carga de arena: *non autem* de arenas. *Nec dicimus:* la mezcla ſe compone de cal, i arenas, *ſed* de cal, i arena. *Sic licet in nonnullis locutionibus utamur plurali*

tri-

trigos; *in uſu tamen non eſt dicere:* un monton, una carga de trigos: *ſed ſecundum bonam Grammaticam*, El Pan ſe haze de trigo: Pan de trigo: Harina de trigo. *Haec dicta ſint, ut appareat, etiam in ſermone Hiſpano*, Puriſtas, *ut vocant, non deeſſe ſatis moleſtos humanae conſortioni.*

Adnotatio XI. reſpondens num. L.

De paupertate, & egeſtate Latinae linguae queritur L. An. Seneca Epiſt. 59. lib. 8. Quanta, *inquit*, verborum nobis paupertas, imo egeſtas ſit, numquam magis, quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina deſiderarent, nec haberent: quaedam vero cum habuiſſent, faſtidio noſtro perdidiſſent: Quis autem ferat in egeſtate faſtidium? *Ita Seneca initio hujus Epiſtolae. In editione a Gothofredo curata, qua utor, deſunt aliqua verba paullo poſt initium, ut colligitur ex hiulca Oratione, & ex Summario ante Epiſtolam poſito.*

Adnotatio XII. reſpondens num. LI.
& confirmans Cenſorini judicium expoſitum, &
probatum in tota hac Diſſertatione.

Quinctilianus lib. 8. cap. 3. Inſtit. Orat. *tradit, vocem* Beatus *a Meſſalla inventam*: Munerarius *ab Auguſto:* Favor, & Urbanus *a Cicerone novas exiſtimari: ut etiam* Beatitas, & Beatitudo, *quae licet durae ei viderentur, putaſſe tamen uſu poſſe emolliri.* Obſequium *novum verbum a Terentio inventum notat. Addere poſſet ſuperlativum* Piiſſimus *a M. Antonio Triumviro primum uſurpatum, improbante Cicerone. Scribit etiam, Praeceptores ſuos dubitaſſe, an Latinum eſſet* Piratica, *ut Latina ſunt* Muſica, Fabrica. Cervix *in ſingulari numero primus Hortenſius uſus eſt: nam veteres pluraliter appellabant.* Audendum itaque, *pergit Quinctilianus*: neque enim accedo Celſo, qui ab Oratore fingi vetat. Nam, cum ſint eorum, alia, ut dicit Cicero, nativa, ideſt, quae ſignificata ſunt primo ſenſu, alia reperta, quae ex his facta ſunt, ut jam nobis ponere aliqua, quae illi rudes homines, primique fecerunt fas non ſit, derivare, flectere,

conjungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere? Et ſi quid periculoſius finxiſſe videbimur, quibuſdam remediis praemuniendum eſt: (ut ita dicam)(ſi licet dicere)(Quodammodo)(permittite ſic mihi)(. *Haec Quinctilianus: quae ſi legiſſet* Cenſorinus *antequam lucubraſſet, vel inter lucubrandum hanc Diſſertationem, multo confidentius de argumento iſto diſceptaſſet. Verum certus ſum, locum iſtum Quinctiliani non legiſſe, niſi poſt lucubratas omnes has, quas juris publici facit, Diſſertationes.*

Q. MODERATI CENSORINI

DE VITA, ET MORTE LATINAE LINGUAE

DISSERTATIO II.

In qua, utrum nunc temporis vivat Latina lingua, an mortua dicenda ſit?
Praemittuntur Colloquia inter Eruditum Civem Ferrarienſem, & Hiſpanos aliquot, de rebus ad Humanitatem ſpectantibus.

§. I. QUi non multis ante diebus *Q. Moderatum Cenſorinum* de Latina lingua diſſerentem in Ferrariae muro audierant, omnes fere una ad eas, quas incolebat aedes, ex condicto hora poſt meridiem quaſi quarta, perrexere. Ille, ut ſe convenientes ſodales vidit: non expectata ſalutatione, intelligo, ait, vos acceſſiſſe huc, ut me deambulatum educatis. Sequar vos, quamquam, ut verum fatear, non nihil invitus; erat quippe animus, hodie, praeter morem a deambulatione abſtinere, ac domi manere. Si valetudinis cauſſa, inquit *Timioxenus*, domi te continendi conſilium coeperis, non te urgebimus, ut nobiſcum

ſcum venias: imo nos manebimus tecum, & in diem alium deambulationem rejiciemus, modo tibi conſortio noſtra ſolatio, & levamento futura ſit: cum non recte valentibus, hypocondriacis praeſertim, ſolitudo noceat. Nihil, mihi veſtra conſortione jucundius, inquit *Cenſorinus*: ſed manendi cauſſa non aegrotatio erat, nam Dei beneficio recte valeo; & placida haec pomeridiana tempeſtas, qua fruimur, ad deambulationem invitat; ſed ut vacarem lectioni operis, nuper ad me ab Amico optimo, & erudito D. D. Franciſco Xaverio Lampillas Janua miſſi, ibidemque typis editi, in quo doctae ſunt Apologiae eleganti Italo ſermone ſcriptae pro Hiſpanorum litteratura, in quam invectus eſt inſignis quidam nuperrimus Hiſtoricus, non malo animo, ut arbitror, ſed rerum Hiſpanarum ignoratione. Vix enim a me impetrare poteram, ut inchoatam Apologeticarum Diſſertationum iſtarum lectionem intermitterem: adeo delector Auctoris ingenio, modeſtia, & eruditione, quae ubique in his ſe ſe produnt, nitentque Diſſertationibus.

§. II. Tunc alter ex ſodalibus: praeſtolabamur, inquit jamdiu opus iſtud, quod magnam de ſe exſpectationem excitavit; manus namque conferendae ſunt cum ſtrenuo, & exercitato pugile, qui non facile vinci ſe ab impugnatore patietur. Interim gaudemus, ad te tandem has lucubrationes perveniſſe, quas, cum legeris, minime dubitamus, nobiſcum a te eas communicatum iri, ut, & nos earum perfrui poſſimus lectione. Legimus jam, quae prodierunt Epiſtolas, docte & eleganter a Joanne Andreſio, & Thoma Serrano ſcriptas, quibus nonnulla a praedicto Hiſtoriographo contra Hiſpanos afferta refutantur. At novus iſte impugnator omnia, quae ab Hiſtorico illo parum honorifice de Hiſpanis ſcribuntur, dicitur refutare.

§. III. Communicabo libentiſſime cum amicis, reſpondit *Cenſorinus*, poſtquam legero, & antea etiam, ſi vultis; cum nihil amicorum gratia non praeſtandum, quod quidem honeſtum ſit. Satis eſt, repoſuit *Phronimus*, ſi no-

bis hoc opus legendum commodaveris, poſtquam a te lectum fuerit. Verum ſcito, nos majore flagrare lucubrationes iſtas legendi deſiderio, ex quo tibi probari eas non ignoramus. Ad haec *Timioxenus*: audivi de hoc opere, & novi Auctorem, cum heic Ferrariae Diſciplinis Theologicis Juvenes veſtros erudiebat, legique unum aliquod, aut alterum, ab eo compoſitum Etruſco ſermone Epigramma, quod ejus ingenium, & peritiam in idiomate, & poeſi Itala indicabat: vixque in animum inducere poteram, ab extero homine fuiſſe lucubrata. Cui *Cenſorinus*: forſan legiſti jam opus iſtud, quod in manibus habeo, quamquam id diſſimules: quod, ſi ita eſt, dic nobis, quid de illo cenſeas. Exprome libere ſenſum tuum: neque putes, tibi nos iratos futuros quamvis tibi non probetur; cum perſuaſum Hiſpanis nobis ſit, vix Italis probatum iri, quod contra Tiraboſchium ſcribatur: tanta vir doctiſſimus fama apud Italos claret.

§. IV. Non legi, inquit *Timioxenus*, ſed ſpero, iſtud penes me futurum, emiſſemque jam, ſi bibliopolae noſtri exemplar aliquod venale haberent; accipiam vero commodatum ab amico Romano Arcade Coloniae Ferrarienſis, qui nunc ejus lectioni dat operam. Cum legero, non verebor candide vobis aperire, quid de illo ſentiam: neque mirum mihi erit, ſi Bibliothecarius Eſtenſis, quamquam alias eruditiſſimus, non omnia aſſecutus fuerit: cum fas ſit, ſomnum obrepere in longo opere, cujuſmodi eſt Hiſtoria litteraria Italiae, inqua ille verſatur: & notum vobis eſt, bonum Homerum nonnunquam dormitaſſe.

§. V. Jam non ſilebo, quae intellexi ex amico, ab ſtudio partium alieno, & Patriae amore minime excaecato: nervoſe, & modeſte ſcilicet refutari celebrem Hiſtoricum, ut noſtrates alios, qui vulgatis praejudiciis ſine examine inhaerentes, parum aequos ſe praebent Hiſpanorum Litteratorum aeſtimatores. Illud amicus miratur in extero homine, tam eleganter nempe, & copioſe Italo idiomate, ac tam brevi tempore ſcribere id operis potuiſſe; cum

non

non pauci in Italia nati, & educati ſoloeciſmis, & barbariſmis contaminent patria a ſe lingua ſcriptas lucubrationes.

§. VI. Mihi vero, quamvis Eſtenſis Bibliothecae Praefectum magni faciam, numquam probari potuit ejus litteraria Hiſtoria, qua parte aliarum nationum Scriptores cenſoria virgula generatim notat, tamquam boni guſtus in re litteraria expertes, vel tamquam bonarum Artium, atque ingenuarum Diſciplinarum corruptores. Habent cultae nationes omnes bonos, malos, mediocres, & optimos Litteratos: nec Italia aliorum depreſſione eget, ut eminentem in Republica litteraria cum dignitate occupet locum. Ut mittam, vulgarium ingeniorum eſſe, propria mirari, & aliena contemnere: quod quidem in re litteraria non modo plenum opus aleae eſt, ſed plenum invidiae: cum raro velit quis, & multo minus integra natio, ingenio, & doctrina alteri cedere, ac certum ſit, unam quamlibet in aliquo doctrinae genere excellere, aliaſque ſuperare. Debebat Hiſtoricus noſter, prudens Horatii monitum prae oculis habere:

Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprehendes.

Quod licet Horatius in alium ſenſum dixerit, poteſt quam optime litterarum ſtudiis aptari. Sed mittamus haec, & videte, quo hodie ſit dirigenda deambulatio.

§. VII. Ego, inquit *Cenſorinus*, quando ſum domo egreſſurus, quo, & qua velitis pergam: ac, niſi ſi vobis aliud videatur, ut antiqui convivae Athenis, & Romae convivii Imperatotem ſeu Regem conſtituebant, conſtituamus & nos deambulationis: nec alius magis idoneus, quam *Phronimus*. Si mihi a vobis optio detur, ait iſte, auctor vobis ſum, ut, quo remotiores a turba ſimus, extra Urbis moenia per S. Georgii portam ad minoris Padi non procul praeterfluentis ripam eamus, ubi ſub umbra procerarum arborum, vel more Socratico ſedentes, vel Ariſtotelico deambulantes, colloquendo, & diſceptando ſalubrem auram capiamus. Si aſſentiamini, ego dux ero itineris, non impe-

perator. Scitis quippe, me per Ferrariae agrum deambulare ſolitum quam frequenriſſime, & *ſilenta loca*, ut Naevii verbis utar, ac ſalubriora ad unguem noſſe.

§. VIII. Placet, inquit *Cenſorinus*, cui reliqui ſtatim aſſenſere. Sed prius Indicam potionem, priſcis Romanis ignotam, a nobis *Cocolata* Americano vocabulo appellatam, (& quam Romani proculdubio, ſi eam agnoviſſent, Deorum nectaris nomine donaſſent) ſumatis velim, ut alacrius iter arripiatis. Heus Puer (is *Scarronellus* nomine, praeterquamquod ingenio acuto, faceto, & Latinis litteris mediocriter imbuto pollebat, erat *Cenſorino* coquus, amanuenſis, cubicularius, oeconomus, pocillator, & omnia) accende ignem, niſi ſi ſit in culina: ſin autem, accipe chalybem, ac fomitem, & extunde ex ſilice: indue alas, & fac carbones igneſcere in fornacula: ſumito ſubinde hos paſtillos, ex quibus potionem pro omnibus conficias. Cura, ne nimia aqua eos diluas: dixi tibi non ſemel, & dico iterum, nimia aqua potionem iſtam corrumpi, & inſuavem fieri. Fortaſſis, inquit ſubridens *Scarronellus*, ſi vino diluerentur, evaderet potio & jucundior & ſalubrior. Cui *Cenſorinus*, jam incipis argutari more tuo? apage ſis cum tuis argutiis, & facetiis, & exequere cito, quod juberis.

§. IX. Haec audiens *Timioxenus*: quod ad me attinet, inquit, quamquam mihi pergratus eſt benevolus tuus animus, noli Puerum fatigare: nam ex Medicorum praeſcripto jamdiu hoc potu abſtineo valetudini meae noxio, & multo magis Cocolatae veſtrae, quae ex Cacai granis parum toſtis conficitur; & noſti valetudinariis ex Medicorum praeſcripto bibendum, edendum & moriendum. Ut libet, inquit *Cenſorinus*; nolo enim, ut mihi obſequaris incommodum, vel minimum ſaluti tuae creari. Aſt vobis ſaltem inquit ad alios converſus, noxius non erit, cui eſtis aſſueti. Neque nos ſumemus, inquit *Phronimus* natu major jure ſuo pro aliis reſpondens, ſolitus cum *Cenſorino* valde familiariter, & amice agere. Aſſueti quidem,

in-

inquiebat, fere omnes eramus in Hiſpania, ut mane cibo, & vino parcentes, diſcendis, & docendis ingenuis Diſciplinis, Concionibus habendis, aliiſque mentis exercitationibus ſtrenuam navare operam poſſemus alacrius; at ex quo in Italia otioſi verſamur, tranſivimus non pauci in mores eorum Italorum, qui vel nihil ſumunt, vel *Cafeum*, quod minoris conſtat, quam Cocolata, jentaculi loco bibunt. Nos heic apud te multi ſumus, & tuarum facultatum magis, quam beneficentiae tuae, alias nobis non ignotae, habenda eſt ratio, niſi ſi vellemus te ad incitas redigere, & inhumanos eſſe in te, ut tuae humanitati obſequeremur.

§. X. Praeterea tempus inſtat & a te exſpectamus potionem hac longe ſuaviorem. Quamobrem, Heus Puer, abſiſte a ſupervacaneo miniſterio tibi imperato, & ſcito, me hodie factum oeconomum Heri tui, a quo, ut dixi, ſuaviorem potionem exſpectamus. Bene eſt, inquit Puer, duplicabitur mihi hodie merces ob duos dominos *Cenſorinum*, & *Phronimum*, quibus, ut ſerviam, oportebit me in duas partes dividi: nam oppoſita imperant. Haec ſubmiſſa voce *Scarronellus*; elata autem ad *Cenſorinum* converſus: quid faciam Here? Abſiſte, inquit *Cenſorinus*, nam ſic jubet, in idem ceteris conſpirantibus, *Phronimus*; ſed non video *Phronime* quam hac potione ſuaviorem, & viris ſtudioſis, ac litteratis ſalubriorem a me exſpectes. Non certe Vinum, aut Cerviſia, quae ſtomachum, & mentem gravant: non Zithus Peluſiacus, non Cafaeum, aut Celia priſcorum Hiſpanorum. Quid quaeris? inquit *Phronimus*: Diſcupimus te iterum de Latina lingua diſputantem audire; ad hoc enim, ſi neſcis, venimus, & properandum ad condictum locum, ne moram facientibus dies nobis eximatur, noſque occupet nox extra civitatem, a qua excluſi ſub dio cogamur pernoctare. Si horologium meum non fallit, non longe eſt XXII. diei hora.

§. XI. Quando vos me audiendi tanta cupido inceſſit, inquit *Cenſorinus*: eamus, ſed ſinite me domeſticam cum

via-

viatoria veſte mutare, & ſchedulas ex pluteo ſumere, in quibus adnotata ſunt nonnulla, quae mihi per hoſce dies de Latino ſermone occurrerunt. Notum vobis eſt, & expertus ſum cum nudius ſextus vos in muro alloquebar, quam labilis, & infida comes ſit memoria, quae nos deſerere ſolet cum ejus ope maxime indigemus. Ita eſt plane, inquit *Phronimus*, quod ſaepe etiam qui tenacioris ſunt memoriae in ſe experiuntur. Compara igitur te, & in viam nos demus; ſed apta tibi collare priuſquam domo prodeas: nam eſt diſtortum non nihil: pecte etiam caput radiis ſaltem rarioribus. Cui bono ſpeculum quod illic appenſum habes, ſi illud non conſulis? Videris nondum cogitaſſe, te Ferrariae vivere, ubi eris deſpectui, ſi parum eleganter comptus, & veſtitus incedas.

§. XII. Cui *Cenſorinus*; at anxia & moroſa ornatus cura & elegantiarum, niſi fortaſſe Laurentii Vallae, virum dedecet & propria foeminarum eſt. M. Tullius de *Officiis* agens, filium ſuum Marcum admonebat, a Viro adhibendam quidem corporis munditiem: non odioſam, atque exquiſitam nimis: tantum, quae fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam, eandemque rationem habendam veſtitus, in quo ſicuti in pleriſque mediocritas optima eſt.

§. XIII. Jam: ut ſe induit, & ſchedulas cum baculo ſumpſit: Eho, inquit ad Puerum converſus, aquam ex puteo hauri, quam habemus frigidiſſimam, ut ſi quis ſiti urgeatur (nam dies aeſtuoſus eſt) eam poſſit extinguere priuſquam domo pedem efferamus. Sed primum praepara calices bene lotos, quibus ſine faſtidio bibere poſſimus. Fac celeriter ac diligenter: nam ſaltem hoc non prohibebit *Phronimus*. Cui Puer: Prohiberet ille quidem prudentiſſime; nam priuſquam apud te eſſem, nunquam audieram aqua ſitim extingui, ſed mero.

§. XIV. Audite, inquit ad Sodales *Cenſorinus*: audite ſcurram iſtum, & cavillatorem. Perge; ſed paucis. nam tu ſi ante lucem loqui incipias, concubium ſit noctis priuſquam deſinas. Dicebam ac dico iterum, continuavit *Scar-*

ro-

ronellus (& puto ſodales tuos heic ſtantes, aut ſedentes dicta mea comprobaturos) frigida ſitim non extingui, ſed vino. Nam ſitis ex calore oritur & cum Philoſophiae per annum, ac per alterum fere integrum Medicinae ſtudio darem operam, didici, frigore (non ſatis recordor quanam graeca voce id Magiſtri exponebant) calorem augeri, & calore frigus : quamobrem aqua putealis aeſtatis tempore frigida, & in hieme calida eſt. Vinum eſt proculdubio natura calidum: quo fit ut calorem ab ſtomacho, ut clavus clavum, trudat: contra aqua, quae natura frigida eſt, calorem in ſtomacho auget, & ex eo natam ſitim. Philoſophice, inquit *Hiſpano-Americanus*, *Corteſius* nomine. Proſequere: nam delectamur tam bello ratiocinio tuo. His addo, continuabat Puer, aquam ſtomacho nocere, & ciborum concoctionem impedire; contra vinum roborat ſtomachum, concoctionem adjuvat, curas eximit, cor laetum reddit (*), mentem clarificat, & linguam diſertam facit. Cui *Cenſorinus*: haec ex cauponibus, bajulis, atque aurigis didiciſti, qui non niſi vino ſitim explent, & aquam nunquam deguſtaverunt: Perge porro ſi quid tibi adhuc garriendum ſupereſt, nam videntur ſodales mei tuis ineptiis delectari.

§. XV. Non equidem, inquiebat Puer, haec a cauponibus, aut aliis, quos tu, Here, memoras, ſed a viris plane doctis, & eruditis audivi: quae etiam didici ex Poetis, quos legi cum Humanioribus litteris dabam operam: & illi quidem quos dixi, viri docti, inter quos nonnulli Medici, exiſtimabant, plures ex Hiſpanis, qui per hoſce annos Ferrariae obierunt, ſuperſtites etiamnum futuros, ſi aquae minus, plus vini bibiſſent. Opinabantur etiam, non ſolum mentem vini potu non hebetari, quod non pauci ex vobis exiſtimant, ſed bibentis ingenium mirifice acui & extolli ad ſublimia cogitata praeſertim poetica: quo circa affirmabant & jurabant, inter vos vix poetam ullum eſſe poſſe; cum fere omnes, vel abſtemii, vel aquae nimium potores ſitis, vel aquam in vinum, quod bibitis, infun-

ſundatis. Pro qua opinione ſua adducebant cujuſdam Cratini (*) veteris Scriptoris Graeci graviſſimum teſtimonium, qui ajebat, carmina, ab aquae potoribus ſcripta, aetatem non ferre, neque in Parnaſſo probari: quin etiam Muſas ipſas ſolitas vina mane olere,

§. XVI. Ac id quidem confirmatum video a celebriorum Poetarum & exemplis, & dictis, qui omnes aqua tanquam a praeſenti aconito abſtinuere, & vinum largiter laudarunt, & largius potarunt. His accedunt accuratiores Mithologi narrantes, Bacchum (*) ſeu Liberum Patrem poſtquam devictis Indiae, ac totius Orientis populis in Graeciam rediit, illicque triumphavit, Parnaſſum bicipitem expulſo Apolline occupaſſe, ſedem, regiamque ſuam ibidem poſuiſſe, ac Muſarum Praeſidem factum, exſiccatis aquae fontibus, qui illis in locis erant, ne Muſae & Poetae aqua illa labra ſua proluerent; vini fontes uberrimos ex Parnaſſi jugis prorumpere feciſſe, ut & Muſae & Muſarum cultores non lauro, ut olim, ſed hedera coronati, bibere ad ſatietatem poſſent, & ſublimiora Carmina ſomniare.

§. XVII. Ridebant ad haec effuſe *Cenſorini* ſodales, ac vix poterant *Timioxenus*, & alii ſibi a cachinnis temperare, puerum facetum adeo, atque eruditum audientes: quo ille audacior, & confidentiloquior fiebat. Audivi ex te, Here, pergebat *Scarronellus*, & valde miratus ſum, in Hiſpania veſtra eſſe Medicos, qui aegra corpora ſanare ſe poſſe putant, & jactant aqua naturali ab aegrotis potata, eamque in certa quantitate eiſdem praeſcribere. Si huc venirent, & aquam, niſi forte vitae, aegrotantibus ceu medicamentum propinarent, aegrotos omnes perderent, & occiderent, ſaxiſque proculdubio mercedis loco (medicamentariis plaudentibus) a pueris, a poetis, quorum hic magna copia, ab oenopolis ex urbibus, & pagis ejicerentur.

§. XVIII. Valde ignarum enim eſſe oportet artis, quam Apollineam vocant, eo quod Apollo Parnaſſo expulſus hanc una cum AEſculapio filio exercuit, ut victum ſibi compararet, qui neſciat, valetudinis incommoda fere

omnia

omnia ex ſtomacho provenire, & ſtomachum vini non ar quae potu maxime roborari. Si me non contineret Heri praeſentia, qui putat me, vel cum ſerio loquor, hiſtrionem agere, diceretque ſtatim, me miſcere ſacra profanis in joculari ſermone, adducerem opportune contra hos Medicaſtros verba magni cujudam, & ſacri Medici diſcipulo ſuo conſulentis vini non aquae uſum propter ſtomachum. Hanc ob rem non mirari non poſſum, Academias veſtras & Magiſtratus aquatilium illorum Medicorum doctrinam, & curandi methodum tolerare, ac ad ejurandum tam palmarem, & reipub. noxium errorem non compuliſſe. Longe tolerabilior mihi videtur opinio Crivellatii Viterbienſis Medici, qui morbis etiam acutis ſanandis vinum praeſcribebat ſecutus Laconum inſtitutum, qui quidem cum ſani, eſſent abſtemii; aegrotantes vino pro medicamine utebantur.

§. XIX. Cum omnes, excepto *Cenſorino*, Pueri dicta cum plauſu exciperent. Ohe jam ſatis eſt ineptiarum, inquit compoſito ad ſeveritatem vultu *Cenſorinus*, & fac quod juſſus es; deambulationis enim jam tempus inſtat. Cum abiiſſet ille, *Timioxenus*, & *Hiſpano-Luſitanus* ad *Cenſorinum* converſi: habes, inquiunt, Puerum ingenioſum ſane, & argutum. Quibus *Cenſorinus*: melius illum appellaretis garrulum, & nugivendum. Si illum audire velletis pro vino differentem contra aquam, vel de aliis, nunquam dicendi finem faceret. In animo habebat circulatorem, & extemporalem poetam agere (nam in vulgari poeſi, vel potius in rhytmis eſt ſatis verſatus) niſi ab hoc propoſito ſuaſionibus meis eum avertiſſem. Ad me venit, ut eum Hiſpana erudirem lingua, quo poſſet in Hiſpaniam proficiſci, illicque circulatoriam exercere, haud dubitans, ſtatim illic divitem, atque opulentum evaſurum; cum audiviſſet, in Hiſpania plurimarum aedium ſcalas argenteas eſſe, & omnes argento abundare: emeratque jam Grammaticam Italo-Hiſpanam a Cl. Abbate Hiſpano Stephano Roſterre nuper editam, qua inſtructus putabat, ſe Hiſpa-

ſpanum ſermonem ediſcere, me docente, facilius poſſe.

§. XX. Initio non poteram ab eo impetrare, ut vinum aqua dilueret, perſuaſo, vinum aqua jugulari, & aqua miſtum flatus ciere. Multo minus, ut ſine vino pranderet; quia, inquiebat, ſe legiſſe in bonis Latinis Scriptoribus, prandium ſine vino ab antiquis *Prandium caninum* appellari. Caeteroquin honeſtis moribus eſt, & moderato vini hauſtu contentus. Eſt praeterea fidus, expeditus, & promptus ad miniſteria quaevis. Vereor unum, ne inconſtans ſit. Si me deſereret, difficile foret miniſtrum ei parem invenire. Hanc obrem diſſimulo, & patienter fero ejus garrulitatem, quae ſaepius mihi bilem, quam riſum jam movet; licet initio ea me propter ſalſa quaedam dicta oblectaret.

§. XXI. Cujas eſt? interrogavit *Polyhiſtor Cenſorinum*; nam Italus mihi non videtur; cum faciem habeat parum liberalem, quamvis amoeno ingenio ſit. Cui *Cenſorinus*: ipſe de natione interrogatus reſpondet, ſe Italum non eſſe, ſed Gallum Togatum, quamvis non ignoret, Togatam Galliam intra Italiam eſſe. Ait etiam, ſe originem trahere ex Gallia Tranſalpina, ſive Comata, ſive Brachata, numeratque inter majorum ſuorum cognatos celebrem Poetam Gallum Scarronem, illum, qui Virgilii AEneidem in carmina Gallica ludicro & joculari ſermone vertit: qua verſione & Virgilium, & Heroem ſuum AEneam lectoribus irridendos propinavit. Inter alia enim notat (niſi male memini, nam valde juvenis in Hiſpania hanc verſionem legi) Virgilium ſaepe pium, & illacrymantem AEneam depingendo, oſtendiſſe, Heroem ſuum magis idoneum fundando fratrum coenobio, quam condendo Romano Imperio fuiſſe. *Scarronelli* nomen, inquit *Hiſpano-Luſitanus*, ac facetum ejus ingenium originem, & cognationem eam veriſimilem facit. Interea rediit ille cum calicibus bene lotis, & aquae lagena: ac poſtquam nonnulli in puerum ſubridendo intuentes large bibiſſent, domo omnes ſunt egreſſi, ac ad Paduli ripam, ut erat conſtitutum, *Phronimo* duce, de *Scar-*

ro-

ronello, ac de aliis differentes lento gradu perrexerunt. Vix ad Urbis pomoerium per Sancti Georgii portam pervenere, cum *Hiſpano-Americanus Requeſenſius*: videtis, inquit, quam frequentes prope Ferrariam conſurgant populi, & quam ingentes? Saepe quaeſivi: qua de cauſſa tot populi, non arbores aliae alibi ſatis communes, robora, orni, ilices, pinus, nuces, oleae, abietes heic cernantur? & nemo adhuc potuit mihi cauſſas aperire.

§. XXII. Conabor ego, inquit *Polyhiſtor*, quamvis neſciam, an reſponſio mea vobis probabitur, qui omnia adunco naſo ſuſpendere ſoliti eſtis: ac fortaſſe exſpectatis, me adducturum cauſſas illas generales, quae ab iis adduci ſolent, qui de re ruſtica ſcripſerunt (*). Ne vos ſuſpenſos teneam veram cauſſam jam aperio. Audiſtis ni fallor ſaepe, magnum Padum Ferrariam olim praeterfluentem, vel ſua ſponte, vel Ferrarienſium precibus exoratum, alveum commutaſſe, & illuc qua nunc fluit Ferraria milliaribus procul aliquot abiiſſe, relicto heic minore Pado loci haerede, ne antiqui alvei jura penitus amitteret, ſi alius loca iſta occuparet, ac in judicio, mota lite, uſucapionem, ſive longi temporis praeſcriptionem adlegaret. Haec audiens *Technophilus*, qui anno ſuperiori doctas, & elegantes IV. *de Rerum Dominio*, ſive *de Juris Principiis* Rhodigii ediderat Latinas Diſſertationes: Rem, inquit, ſane lepidam nobis narras *Polyhiſtor*. Magnus Padus procul dubio uſus conſuetudine tot inſignium Juriſconſultorum, qui in Ferrariae litigioſo foro verſantur, & cauſſas agunt, Principiorum juris notitiam ſibi comparare potuit, quae ſatis eſſet, ut proli, & facultatibus ſuis conſuleret, rerumque propriarum dominium conſervaret. Perge porro cum mirabili hac hiſtoria, cujus finem omnes avidiſſime exſpectamus. Non longa eſt fabula, inquit *Polyhiſtor*. Noſtis item, Phaetontem, Solis filium e paterno curru in magnum Padum, Jovis ictum fulmine, cecidiſſe, & ex aquis extractum, ut antiqua fert traditio, prope Ferrariam ad Padi ripam ſepultum, ejuſque ſepulchro hanc additam Inſcriptionem:

Hic ſitus eſt Phaeton, currus auriga paterni,
Quem, ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

XXIII. Tandem non ignoratis opinor, Phaetontis ſorores chariſſimi fratris lugubre fatum deflentes in populos converſas. Ex his nonnullae, cum omnes a Pado abeunte invitatae eſſent, ut ſecum Ferraria abirent, Padum ſecutae ſunt, & Ferrariam reliquerunt, ſi forte abſentia dolorem, quo ob defunctum fratrem cruciabantur, lenire poſſent: plures vero earum, quas his in locis videtis, cum amiſſi fratris deſiderium ferre non poſſent, ab ejuſdem ſepulchri conſpectu avelli minime potuerunt, & hic flentes remanſerunt. En vobis cauſſam, cur proxime Ferrariam tot populi videantur. Optime, inquit *Hiſpano-Luſitanus*, cauſſam habemus indicatam, Poeta dignam. Cui *Polyhiſtor*, quid? an exſpectabas dignam Philoſopho? Non eſt hoc tempus ſerio philoſophandi, ſed mutuis nos jocoſis, & amoenis ſermonibus recreandi.

§. XXIV. Interea, poſtquam religionis cauſſa ad S. Georgii acceſſere, ibidemque nonnihil morae factum, ad Paduli ripam ſunt progreſſi. Quo, ut pervenerunt, alii ſtantes, alii ſub umbra ſedentes, poſt modicam quietem, qua tantillum libere reſpirarent, rogarunt *Cenſorinum*, ut quae de Morte, & Vita Latinae linguae, deque priſcorum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum Latinitate in fine Diſſertationis, paucis ante diebus habitae, ſtrictim attigerat, fuſiore ſermone enodaret.

§. XXV. Faciam animo perlubenti, quod jubetis, ait *Cenſorinus*; at valde vereor, ne riſu magis, quae proferam, excipiatis, quam judicio veſtro comprobetis: adeo praeter communem opinionem, quae dicam, vobis videbuntur. Sed oro vos, amici, ut riſum teneatis, donec audieritis documenta, quibus dicta mea confirmabo.

§. XXVI. Quid ais? inquit *Timioxenus?* quamquam Sodales iſti, & familiares tui tecum libere, & amice agant, non puto tam inhumanos futuros, ut, quando te, ad dicenda, quae ſentis, compellunt, non grate, comiterque aci-

ci-

cipiant dicta tua. De me autem nihil opus eſt dicere, cujus praeſertim gratia laborem iſtum ſuſcipis, quique judicium tuum tanti facio, ut eo fretus me accinxerim ad Latino ſermone ſcribendam Hiſtoriam, quam noſti: cum jam antea fere decreviſſem, Italo eam ſermone exarare: nec dubito, quin ſim hodierno die tua oratione in propoſito confirmandus. Si ita eſt, inquit *Cenſorinus*, non recuſo cogitationes, & ſenſa mea vobis expromere: ita tamen, ut nonnunquam Dialectica utar methodo, qua poſſim res melius ad vivum reſecare, & efficacius, quod ſentio, vobis ſuadere.

§. XXVII. Et vero jam recordamini, dixiſſe me, Latinam linguam nunc temporis non mortuam, ſed viventem eſſe. Quod ita verum arbitror, ut putem, eam nunquam in vivis fuiſſe, ſi hodie mortua, ſive extincta ſit. Dixi praeterea (quod vos non fugit) Scriptores Chriſtianos, & Eccleſiae Patres antiquiores, non modo Latinae linguae corruptores non fuiſſe, ſed eam vocibus quamplurimis, quibus carebat, augendo, ejus inopiam ſublevaſſe, ac ditiorem & illuſtriorem reddidiſſe; proindeque de ea benemeritos dicendos eſſe. Quod ſi palam fecero; demonſtratum arbitror, ab eorum lectione minime abſtinendum, ſed eorum vocibus, licet novis, ſaepe utendum eſſe Chriſtiano Latino Scriptori.

§. XXVIII. Paradoxa haec, & quidem minime probabilia vobis forſitan, ac pluſquam falſa videbuntur: cum contrarium Criticorum plurimorum primi ſubſellii auctoritate, & judicio, quibus vos multum tribuitis, confirmatum ſit, & eorum ſententia, ceu de re indubia, fuerit huc uſque communiter reputata. Quin etiam fortaſſe non deerit, quod ad Latinitatem veterum Chriſtianorum attinet, qui exiſtimet, opinionem hanc meam, ſi ſemel ea imbuti fuerint qui Humanioribus Diſciplinis navant operam, magna detrimenta poſſe Latinis litteris importare; cum contra illud exiſtimare debeamus, communem opinionem in contemptum Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Eccleſiae

Patrum ſenſim inducere: atque adeo magnam, & gravioribus Diſciplinis perniciem, ut Pietati, ac Religioni eam afferre. His addere poſſem, lectionem ſacrorum librorum, & veterum Eccleſiae Patrum, tum Poetarum, tum Oratorum, praeter Eccleſiaſticam antiquam eruditionem, id boni afferre, quod antidoti loco eſſe poſſit contra impudica carmina, & pravas de moribus opiniones veterum Romanorum; cum certum ſit, colloquia prava corrumpere bonos mores. Quae ego affirmare non auderem, niſi notum eſſet, quamplurimos amoenioribus litteris excultos Sacrorum Bibliorum Vulgatam Editionem, & Sanctorum Patrum ſcripta faſtidire ob inquinatam, ut ipſis videtur, & neglectam Latinitatem. Nec heic ſtetit nonneminis ex praecipuis Latinitatis inſtauratoribus, cui nihil niſi Ciceronianum placebat, temeritas: auſus quippe eſt, ſi vera de eo narrantur, Divini Paulli Epiſtolas, coeleſti doctrina, & eloquentia pluſquam humana ſcriptas, *Epiſtolaccias* per contemptum appellare: ut nihil dicam de Sebaſtiano Caſtallione, qui illotis manibus novam verſionem Sacrae Paginae Ciceronianis elegantiis veſtitam, & ritu Ethnico ornatam edidit, quo, & ejus ſenſum obſcuriorem reddidit, & eam his deliciis phraſium Ethnicarum corrupit: quod ob facinus merito a Criticis minus intemperantibus, & ſolidioris Critices vapulavit. (*)

XXIX. In veteres autem Eccleſiae Patres, ſanctoſque Doctores, quorum ſcriptis plures magnae veritates, & doctrinae Apoſtolicae capita, quae in ſacra Pagina fruſtra quaererentur, nobis, veluti per manus ſunt tradita, quaeque Theologi *Verbum Dei traditum* appellamus, quot, & quanta, Deus immortalis! relatu indigna effutierunt hujus tenebricoſi ſaeculi Philoſophi, Revelatae omnis ſacrae Doctrinae aſpernatores? Hi nempe, licet ne paginam quidem veterum Eccleſiae Patrum, & SS. Doctorum legerint, inſigni temeritate, & inſolentia, eos, tamquam ingenio, & recta critice vacuos, & ſecum pugnantes, ſeu ſibi contradicentes, irrident, & gregalibus ſuis irridendos propinant;

quin

quin etiam caro, & familiari his Philoſophis *Fanatiſmi* vocabulo eorum Doctrinam ſolent appellare.

§. XXX. His malis, aliiſque quamplurimis, quae ex dictis fluunt, occurrere me poſſe putavi, ſi praejudicatas Criticorum opiniones, quas in plurimorum mentibus, atque medullis inſidentes, & inveteratas video, pro virili refellam, meamque, ſi vultis, ſingularem ſtatuam, atque promoveam: nec dubito, quin ea demum vobis probetur, ſi attentas aures, & animum tantiſper, praejudiciis vacuum, mihi praebeatis.

§. XXXI. Jam, ut a primo, quod poſui, initium faciam, de quo ſermo mihi hodie imprimis habendus eſt, Latinam nempe linguam nunc temporis vivere, ſeu linguam mortuam appellandam non eſſe, niſi eam viventem nunquam fuiſſe dicamus; dabitis mihi non difficulter, ut opinor, Romanorum antiquorum vulgus, uti hodiernum, vulgus fuiſſe, id eſt indoctum, ſubruſticum, & parum in ſermone accuratum, quemadmodum nunc temporis in Regnis omnibus, etiam cultiſſimis eſſe ſolet. Dabitis item mihi, (de quo, dato primo, nulla controverſia eſſe poteſt) longe diverſum fuiſſe vulgi Romani ſermonem ab eo, quo inter ſe loquebantur viri docti, atque eruditi, praeſertim in publicis congreſſibus, & cum aliquid ſcribebant, quod legi vellent ab his, qui de ſcripto illo poſſent judicare: num eleganter, & ſecundum artis praecepta exaratum, an vero contra artis regulas peccatum in illo eſſet. Vulgi nempe ſermo corruptus, & ſordidus, multis barbariſmis, & ſoloeciſmis ſcatens, multis obſoletis, & archaiſmis redundans. Quod quidem oſtendi poteſt, ſi examinentur multae privatae Inſcriptiones ſepulchrales priſcorum Romanorum, quae, & male conſtructae ſunt, & multis peregrinis vocibus, parumque Latinis conſtant & perverſa orthographia ſcriptae, quaeque, quamvis Latinae, nonnunquam Graecis Characteribus leguntur exaratae.

§. XXXII. Contra vero Eruditorum ſermo accuratus, elegans, diſertus, & expolitus: Inſcriptiones publicae,

quae a Magiſtratibus, ſeu eorum juſſu marmoribus, vel aeneis tabulis, vel monetis incidebantur, tum ſepulchrales, tum alterius generis optima Latinitate, & orthographia ſcriptae inveniuntur, ut etiam eleganti Romano charactere exaratae. Vulgaris nempe ſermo Latinus, ſeu quo vulgus indoctum utebatur, valde rudis, & impolitus erat, minime conformis Grammaticae praeceptis, quae vulgus ignorabat, atque adeo remotus valde a ſermone Latino, quo viri in ſcholis Grammaticorum verſati, vel utebantur, vel uti poterant, ſi vellent. Eo fere modo, quo, (ſi Hiſtoricis rerum Sinenſium credimus) magnum intereſt diſcrimen inter linguam, qua utitur Sinenſis Imperii vulgus, & eam, qua utuntur Viri ſapientes, & Mandarini. Illa facilior, & parum artificioſa uſu diſcitur: iſta vero contra, multo ſtudio comparari neceſſe eſt, ob maximum artificium, & eam diſcendi difficultatem: adeo, ut qui elegantioris linguae ſit peritior, is doctior apud Sinas habeatur.

§. XXXIII. Verum enim vero, ut haec ſint vobis credibilia, non opus eſt ad longinqua vos mittere, cum ſatis fuerit exempla, quae domi veluti, ſaltem multo proximiora, habetis, obſervare. Quis enim adeo ignarus rerum eſt, qui neſciat, in linguis Gallica, Hiſpana, Itala, ut de minus notis taceam, magnum diſcrimen intereſſe, inter Vulgi ſermonem, & Virorum Diſciplinis excultorum? in Italia, ut nihil dicam de Regnis aliis, quam diverſus eſt ab Etruſco, qui ſermo cultior habetur, & Virorum eruditorum proprius, ſermo Ferrarienſium, Felſinenſium, Venetorum, Januenſium, Neapolitanorum? loquor de Vulgi ſermone harum Provinciarum. Quam ſordidus, ruſticus, & barbarus iſte! quam cultus, & elegans ille! Vix invenire eſt in hiſce Provinciis, inter mediocriter tantum eruditos, qui perfecte Etruſco ſermone ſcribant, aut loquantur. Solum illi, qui magnum ſtudium ad Etruſcum ſermonem addiſcendum impenderunt: qui Etruſcae linguae canones, & lexica, bonoſque Scriptores diurna, nocturnaque manu verſarunt,

runt, & conſuluerunt, norunt recte Etruſco ſermone uti. Quod adeo verum eſt, ut doctiſſimus Jacobus Facciolatus in poſtrema ex ſelectis ſuis orationibus multis rationibus ſuadeat Italis Etruſcae Grammaticae Canonum ſtudium, ſi velint recte Etruſco ſermone vel ſcribere, vel loqui.

§. XXXIV. Et putabimus, ſermone Latino recte locutos Romani Imperii olim de vulgo homines, ſeu non multo corruptius illos, quam nunc ii, quos in exemplum adduxi, Italiae populi Etruſco ſermone loquantur? An non difficilius fuit olim indoctis recte Latine loqui, quam nunc Etruſce? aut minus ne vulgus fuit Romanorum priſcorum, quam hodiernum vulgus Italorum? Num denique magis ingenioſum, magis in loquendo accuratum, aut diſertum magis? Quis hoc niſi praejudiciis ſuis pertinaciter adhaerens reputabit? praeſertim, ſi animum advertat, Latinum ſermonem, quo utebantur Eruditi, longe difficiliorem eſſe ſermone Etruſco, qui in ore eſt Italorum, Diſciplinis ingenuis excultorum. Caret enim iſte nominum inflexionibus: carent verba flexorum caſuum regimine, ut omnis ſermo vernaculus vicinorum Regnorum. Vix curat Etruſca lingua de Relativorum convenientia, ſive de his, quas Grammatici Concordantias vocant: non multum attendit ad differentias verborum agentium, deponentium, neutrorum, communium, vixque eas agnoſcit. Accentibus, diphtongis, ſyllabarum quantitatibus in pronunciatione plurimum ſuperſedet: ea demum difficillimis deſtituta eſt, quibus abundat Latina lingua, conſtructionibus. Quae omnia mihi perſuadent, accuratum, ac purum putum Latii ſermonem nunquam vulgarem Romanos inter jam rerum dominos fuiſſe, ſed omnino proprium Virorum eruditorum, qui in Scholis eum a peritis Grammaticis, quorum Romae, & ut arbitror, in aliis Romani Imperii Provinciarum Civitatibus, magnus erat numerus, addiſcebant.

§. XXXV. Pluribus ego dicta mea confirmarem, ſi apud eos dicerem, qui neſciunt, quanto olim in pretio Romae eſſent Grammatici, quos & Criticos, & litteratos appellabant,

bant, ac ſupra viginti Grammaticae ludos apertos Romae Romanae Juventuti, ut in his, qui vellent, purum Latinum ſermonem edocerentur, poſtquam Crates Malleotes omnium primus Latinum ſermonem ad artem revocavit, & legibus, ac praeceptis artificioſum reddidit, Latinam Grammaticam concinnans (*Vide Sueton. de illuſtribus Grammaticis*). Poſſem, ſi opus eſſet, nomina proferre Grammaticorum celebriorum, ſub quibus M. Tullius, & ejus frater Quinctus, Octavianus Auguſtus, M. Antonius Triumvir, ejus filius L. Antonius, & alii Romanorum nobiliſſimi Latinas litteras didicerunt, ſeu recte Latine loqui. Nec praetermitterem de Valerio Catone Grammatico, qui Syllae temporibus plures Nobiles Romae docuit, tantam ſibi nominis famam comparaſſe, ut ſequentes verſus in ejus laudem vulgo canerentur:

Cato Grammaticus, latina Syren
Qui ſolus legit, & facit Poetas.

Quae ego idcirco obiter attingere volui, ut magis appareat, purum, & defaecatum Latii ſermonem ſupra Romanorum Vulgus fuiſſe, ac proprium eorum, qui Grammaticorum ſcholas frequentarunt. Ut item conſtet, non ſerio, ſed per jocum, & oſtentandi ingenii cauſſa, Jacobum Facciolatum, virum doctiſſimum, & in Latino ſermone verſatiſſimum, in prima ex ſuis ſelectis Orationibus, contendiſſe, Latino Scriptori rationem non habendam grammaticarum praeceptionum; cum Romae illi, qui melius Latino ſermone loquebantur, & ſcribebant, Grammaticorum ſcholas adierint, eorumque praeceptis curaverint erudiri.

§. XXXVI. Haec omnia palam faciunt, vulgi ſermonem Latinum, non modo in Romani Imperii Provinciis, ſed intra Latium, & Romam ipſam plenum ſoloeciſmis, & barbariſmis fuiſſe. Idque veriſimilius facit, quod ad Romam attinet, multitudo pene infinita advenarum ex omnibus Imperii Provinciis in Urbem confluentium, qui patrio ſermone loquebantur, & multas peregrinas voces, Latinis admixtas ibidem relinquebant (*). De C. Caeſare narrat

Tran-

Tranquillus, inter varii generis ſpectacula, juſſu illius edita, ludos regionatim tota Urbe datos, & quidem per omnium linguarum Imperii hiſtriones: quo uno ſatis intelligitur, linguas Imperii omnes Romam confluxiſſe.

§. XXXVII. Jam vero quemadmodum, ſi diverſa exigua limoſa, vel ſalſa flumina in lacum aliquem, vel majus aliquod flumen nitidae aquae confluunt, aquiſque ſuis augent, quod proprium eſt aquarum uniuſcujuſque fluminis in lacum, vel magnum flumen ex parvis auctum tranſit, iſtudque non nihil ex natura influentium, & ſupervenientium aquarum participat: ita credibile eſt, Romanam vulgi linguam, in quam tot barbarae confluebant, mixtum quoddam ex variis conflatum linguis evaſiſſe, & valde diverſam effectam ab ea, qua utebantur viri in ſcholis eruditi: ut non immerito Cicero lib. 3. de *Oratore*, in Craſſi perſona moneat, fugiendam non ſolum ruſticam aſperitatem in vocum Latinarum pronunciatione, ſed & peregrinam vocum inſolentiam: ibidemque innuit, in vitia iſta incurriſſe magis viros, quam nobiles eruditas foeminas, quod hae multorum ſermonis expertes eſſent.

XXXVIII. Et hoc quidem Ciceronis monito docemur, eruditos Romanos, qui puro (*) Latino ſermone loqui poterant, non ſemper recte Latine locutos, ſed in familiari, & quotidiano ſermone plures voces, parum Latinas, & peregrinas, vel obſoletas uſurpaſſe. Quod ego affirmare non auderem, niſi legiſſem in Auguſti Caeſaris vita (*Sueton. cap.* 87.), eum in quotidiano, & familiari ſermone quaedam frequenter, & notabiliter uſurpaſſe, quibus proculdubio, neque in Senatu, neque cum Viris eruditis, de rebus gravibus, & ſeriis agens utebatur. Pro *ſtulto* enim dicebat *blaceolum*: pro *cerito vacerroſum*: pro *languere bettizare*; pro *pullo pullejaceum*: *vapide ſe habere* pro *male ſe habere*. Item pro *ſumus* a verbo *Sum*, es, eſt, *ſimus*: pro *domus* Genitivo caſu ſingulari, *domos*. Cum hortabatur ad ferenda praeſentia, qualiacumque ſint, ajebat: *Hoc Catone contenti ſimus*. Cum aliquos, nunquam ſoluturos debitum ſi-

gnificare volebat, *ad Calendas Graecas*, ajebat, *ſoluturos*, quae ſane in bonis ſui temporis Scriptoribus non leguntur.

XXXIX. Haec, & alia, quae de ejuſdem Orthographia narrantur, magis miror in homine Latini, & Graeci ſermonis peritiſſimo (*Sueton. cap.* 88.), quique unguento delibutas, & effoeminatas Moecenatis ſui latinas phraſes irridebat, & Tiberium, ac M. Antonium increpabat: illum, quod exoletas, & reconditas voces Latinas aucupabatur: iſtum, quem etiam inſanum appellabat, quod ea ſcriberet, quae magis mirarentur homines, quam intelligerent: in homine demum, qui Agrippinae neptis ingenium in quadam Epiſtola laudans: *ſed opus eſt*, inquit, *dare te operam, ne moleſte ſcribas, aut loquaris*.

§. XL. Hinc conjicere licet, quam non immerito dixerim, eruditos Romanos, qui puro Latino ſermone loqui poterant, non ſemper accurate, & recte Latine locutos. Opus erat ſaepe cum ſervis, cum ancillis, cum opificibus, cum ruſticis, cum propolis loqui: & tunc non puro Latino ſermone loquebantur, ne forte non intelligerentur, a Latini ſermonis elegantis, & caſti ignaris, ſed ſe ſe ad eorum captum prudenter accomodabant, corrupto, & vulgari utentes eorum ſermone. Qua etiam prudentia nunc utuntur Viri eruditi Ferrarienſes, quibus non deeſt ſermonis Etruſci peritia, quoties opus eſt illis cum ruſticanis agere, qui Etruſci ſermonis ſunt ignari, & vulgari tantum Ferrarienſium loqui norunt.

§. XLI. Sermo nempe domeſticus, & familiaris Virorum illuſtrium, & eruditorum minus erat accuratus, & purus, quam ille, quo inter ſe privatim, aut in Senatu de rebus ad Rempublicam ſpectantibus, vel cum in Foro cauſſas agerent, loquebantur, aut quo ſcribebant, quae volebant poſteritati commendare. Et idcirco, ut arbitror, in laude ponebatur nonnullarum Romanarum familiarum, quod in eis purus, & accuratus Latinus ſermo, ac minime corruptus in uſu eſſet: ſed hae domus, & familiae paucae numero erant, in quibus forſitan Matres familias

lias addiſcendis Latinis litteris operam navarant, & delectum habebant ſervorum, & ancillarum eruditarum. Has inter nobiles foeminas numerari poſſunt Cornelia, Gracchorum parens, & educatrix, Attia Auguſti mater, & Livia uxor, ad quam ſunt litterae Graeco-Latinae Auguſti de rebus domeſticis ſcriptae (*Sueton. in vita Claudii*). Nec dubitarem affirmare, Terentiam Ciceronis primum uxorem, deinde Salluſtio, & demum Meſſallae Corvino nuptam, ut etiam Tulliolam Ciceronis, & Terentiae filiam, Dolabellae in matrimonium traditam, Latini ſermonis purioris non imperitas fuiſſe. (*)

§. XLII. De Laeliorum, & C. Caeſaris domibus notum eſt, hoc nomine fuiſſe commendatas, quod in illis rectus Latini ſermonis uſus vigeret. De Catulis exſtat Ciceronis teſtimonium lib. 1. cap. 17. *de Officiis*, ut etiam de Craſſo, & tandem de C. Caeſare ſub Aurelia matre in pueritia educato. Quo ſatis oſtendi, mihi videtur, hanc laudem recte Latine loquendi non fuiſſe Romae valde communem, nec multos fuiſſe, etiam ex nobilibus litteratis, qui optime, & exquiſito judicio, Latino ſermone uterentur.

XLIII. Ut vero magis appareat, non ita facile fuiſſe, etiam Ciceronis aetate, perfecte Latine loqui, peritiamque Latini ſermonis aſſequi, non abs re erit, quod Marco Ciceronis filio contigit, referre: quod quidem me legiſſe memini; ubi autem legerim, non memini. Quis dubitarit, Ciceronis filium, priuſquam a Patre ad Pompeji exercitum, ut ſub illo militaret, aut Athenas, ut Philoſophiae daret operam ſub Cratippo, celebri illius aetatis Philoſopho, mitteretur, Romani eloquii, cujus Marci Pater Princeps erat, non prorſus imperitum fuiſſe: & tamen a Patre reprehenditur, quod in quadam epiſtola, ad eum miſſa, diceret, ſe, *duas litteras* a Patre accepiſſe; cum dicere *binas litteras* debuiſſet. Neque Tullius ipſe, ita ſe in Latino ſermone peritum reputabat, ut hac in re palmam amico ſuo Attico non concederet: adeo, ut ceras

ejus

ejus miniatulas pertimeſceret, quemadmodum ipſemet, in litteris ad Pomponium Atticum profitetur. Quin etiam ad eundem Atticum ſcribit, ſe a nautis didiciſſe, quid eſſet proprio Latino ſermone, *remos inhibere*, emendandumque locum in lucubratione, quam ad Atticum miſerat, & ad Varronem, in qua *inhibere remos*, non ſatis Latine ſcriptum erat. Neque illud praetermittendum, (*A. Gellius lib. X. Noct. Atticarum cap. I.*) Ciceronem a Pompejo conſultum, utrum in publica Inſcriptione, in qua Pompeji nomen, & ejus honores enunciandi erant, *Tertio Conſul*, an *Tertium Conſul*, ſcribendum eſſet? non auſum quaeſtionem decidere, & Pompejo conſuluiſſe, ut inciderentur litterae uſque ad ſecundum T. ut hoc pacto dictio *Tert* ambigua remaneret. Erant enim Romae ex Viris doctis, qui *Tertio*: alii, quos inter Terentius Varro, qui *Tertium* Conſul inſcribendum putarent. Nec minus dubitatum olim Romae, utrum *Vir egregi* in vocandi caſu, an *Vir egregie* dicendum eſſet? (*Vide Gell. lib. XIV. cap. V.*

§. XLIV. Quod ſi priſcorum Romanorum tempore, etiam in aureo Latinitatis ſaeculo, in quo Cicero, Latini ſermonis Princeps habebatur, & eloquentiſſimis libris ſuis per totum Romanum Imperium clarus, ac nominis ſui fama inſignis erat, tot difficultatibus purus, ac defaecatus Latinus ſermo erat obnoxius; quis ſibi perſuadeat, Latinam linguam, qualem in libris habemus, & de qua ſolum nos judicium ferre poſſumus, vulgarem fuiſſe? cum de multorum verborum Latinorum propria ſignificatione, deque eorum idoneo uſu, vel viri in Grammaticorum Scholis Latine eruditi, maxime dubitarent? (*)

§. XLV. Quae cum ita ſint, vel tunc viva non erat Latina lingua, vel ſi vivebat, & vigebat (quod nemo ſanus in dubium vertit) non eo vivebat, quod communis ea, & in ore vulgi eſſet, ſed quia Latinus ſermo erat in ore & ſtylo Virorum eruditorum, qui cum opus eſſet in publicis congreſſibus, in foro, in curia, (*) in libris, & epiſtolis Latine, & quidem eleganter loqui, & ſcribe-

re

re poterant. Erant quidem multi illis temporibus puri, & defaecati ſermonis Latii admodum periti; at multo plures, qui mediocritatem non ſuperabant, ac pene infiniti, qui Latine ſine ſoloeciſmis, & barbariſmis neque ſcribere, neque loqui ſcirent, etiam inter illos, qui Romae nati erant. Romae procul dubio natus erat, & educatus Legatus ille conſularis, cui, ut rudi, & indocto ſucceſſorem dediſſe Auguſtus dicitur, quod ejus manu *ixi* pro *ipſi* ſcriptum animadvertiſſet (*Suet. c.* 88. *in vita Aug.*) Et ille quidem nec plane rudis, nec ignobilis, nec omnis diſciplinae expers habendus, cum pluribus in republica muneribus, ante conſularem legationem perfunctus eſſet, multiſque honoribus inſignitus.

§.XLVI. Jam ſi Romae in centro Latinitatis tot erant Latini ſermonis imperiti, quot putatis futuros in Provinciis, vi, & armis, Romae ſubjectis, quibus & dominatio Romanorum, & lingua aeque inviſae erant? Quot, qui ne unum quidem verbum Latinum loqui poſſent, quique Romanam linguam prae propria contemnebant, ac barbaram reputabant? Vix crediderim, Graecos homines, niſi qui ambitioni ſervientes, aucupari vellent Togatae Gentis gratiam, dignatos fuiſſe, vel diſcere, vel loqui Latinam linguam, niſi poſt multum temporis Romanae dominationis. Multo item minorem Hebraeos Romanis litteris navaſſe operam, quam Graeci crediderim: cum linguae ſuae primordia ad Deum ipſum referrent, & primum hominem, totius humani generis Parentem, linguae Hebraicae divino inſtinctu inventorem fuiſſe reputarent. Illi fortaſſe uni ex Hebraeis Latinam linguam addiſcere, eademque loqui nitebantur, qui munia publica pro Romanis inter ſuos obibant, vel qui Praeſidibus ſerviebant, vel qui vectigalia Romanis ſolvenda, alioſque redditus procurabant. Iſti enim, ut cum Romanis agerent, eorum procul dubio linguam addiſcebant.

§.XLVII. Sed juvat heic pauliſper ſubſiſtere, priuſquam caetera, quae ex dictis fluunt, & propoſitum noſtrum con-

fir-

firmant, perſequamur. Occurrit namque difficultas complananda, & obex removendus, qui poſſet iter noſtrum remorari. Dicet fortaſſe quiſpiam, in Romanorum Hiſtoriis verſatus: ſi Romanum vulgus puri, & accurati Latini ſermonis erat imperitum, cur ad forum, ad roſtra, ad theatra concurrebat, ut Oratores cauſſas agentes, & leges rogantes, hiſtriones, comoedias, tragoedias, & mimos populo repraeſentantes, audiret? Profecto non erat vacuum forum, cum vel Cicero, vel Hortenſius aliquem accuſabant, aut Reum defendebant, aut legem aliquam rogabant. Non erat populo vacuum theatrum, quo tempore vel Plautus, vel Terentius comoedias ſuas ſpectandas dabant, vel cum P. Syrus, aut Laberius mimos ſuos edebant. Haec omnia puro, & accurato Latino ſermone agebantur: neque audebat quiſquam ex Oratoribus, & Poetis in forum, ac theatra ſive orationem, ſive comoediam afferre, quae parum accurate, ac eleganter eſſent ab Auctoribus lucubratae.

§. XLVIII. Et vero, ecquis ſibi perſuaſerit, populares ituros ad concionem vel ad comoediam, quam non intelligerent? quod ſane contigiſſet, ſi, ut ego arbitror, Latini ſermonis erant ignari, atque imperiti. Hoc enim, quod Latine loqui neſcirent, aut puri Latini ſermonis expertes eſſent, veriſimile eſt, bonas horas perdere noluiſſe in audiendis illis, quorum ſermo illis ignotus eſſet, ac veluti peregrinus. Erat igitur Latinus ſermo non proprius virorum eruditorum, atque Romanae nobilitatis, ſed communis patritiis, equitibus, & infimae indoctae plebi, ita ut Romae omnes Latino ſermone loquerentur: cum hoc uno diſcrimine, quod indocti uſu illum addiſcebant, quin rationem reddere poſſent de recto uſu, & proprietate vocum, dictionumque artificio; docti vero, ſeu Grammaticorum in ludis eruditi rationem reddere poterant, & judicium ferre de artificioſa ſtructura Romane locutionis.

§. XLIX. Haec ſunt, quae contra opinionem meam opponi, quaeque negotium hac in cauſſa faceſſere videri poſſunt.

ſunt. Sed ſpero me hunc locum non difficulter complanaturum, ſi dixero, Romanum vulgus intellexiſſe quidem mediocriter caſtum, & elegantem ſermonem Latii, eo tamen loqui neſciviſſe. cum multo facilius ſit, ſermonem aliquem mediocriter intelligere, quam eo loqui. An non videmus Bononienſium, Ferrarienſium, Januenſium, Venetorum vulgus Etruſcum ſermonem mediocriter intelligere, quin tamen Etruſco ſermone loqui norit? Jam, quemadmodum Ferrarienſes, Bononienſes, Januenſes, Veneti, etiam indocti, confluunt ad conciones ſacras, quae accurato, & eleganti Etruſco ſermone habentur, properantque ad Comoedias, & Tragoedias quae in theatris recitantur: ita etiam Romani de vulgo homines ad forenſes Conciones, ad Comoedias, Mimos, & Tragoedias concurrebant, licet Latini eloquii, praeſertim emendati, eſſent imperiti, ſeu licet perfecte Latine loqui illi neſcirent.

§. L. Aſt video, me reſponſione hacce mea, pluſquam par erat, Romano vulgo tribuiſſe. Cum vulgus dico, indoctos ego intelligo: neque enim plebaei omnes Romae vulgus erant: cum inter eos multi viri docti, & etiam nobiliſſimi olim cenſerentur, uti etiam in patritio, & equeſtri ordine multi erant indocti, atque diſciplinarum ingenuarum expertes, qui inter vulgares homines poterant numerari, atque recenſeri. Nimium, inquam, Romanorum vulgo largitus ſum, cum dixi, Latii ſermonem, quo utebantur in forenſibus actionibus Oratores, & Mimorum, atque Dramatum Auctores calluiſſe. Multi quidem ad forum, & ad theatra concurrebant docti, atque indocti populares, & ii quidem ſaepe, non tam animo audiendi Oratorem, pro roſtris dicenten, quam ut praeſentia ſua celebriorem, & frequentiorem redderent concionem. Alii, ut animum Reo facerent, ut cognati, affines, amici, familiares, aut clientes Oratoris, Rei, vel Actoris, vel Patroni. Plures ibant, quia illuc ibatur; cum vulgus ire ſoleat, non quo eundum eſt, ſed quo itur.

§. LI. Non pauci contendebant ad concionem, ut ſordi-

didatum Reum, ſaepe virum nobiliſſimum, & praecipuis in Republica muniis functum, non ſemel Conſularem, viderent, atque agnoſcerent: ſive ut cujuſmodi eſſet actio, ſeu accuſatio, an ambitus? an repetundarum? an perduellionis? an maleficii? & quem exitum habitura eſſet Cauſſa ex aliorum judicio, ac dictis reſcirent. Ibant non pauci ut cernerent, qua vocis contentione, quo geſtu, quibus lateribus, qua confidentia Orator diceret, vel pro, vel contra Reum. Innumeri tandem, tum fama Oratoris, tum Rei, ſive accuſati periculo, aut in eum odio, ac damnationis deſiderio permoti.

§. LII. An non hodie conciones, & theatra frequentari videmus ab otioſis quamplurimis, qui Etruſcum ſermonem non capiunt, quamvis Latino multo faciliorem? an non etiam nunc multi publicis academicis concertationibus, quae de rebus ad ſublimiores Diſciplinas ſpectantibus Latino ſermone habentur, interſunt, qui non modo illarum diſciplinarum prorſus expertes ſunt, ſed & qui Latini ſermonis ignari? Cur idem dicere non poſſumus de multis Romanis, qui eas, de quibus dicebamus, conciones frequentabant? ut nihil dicamus de illis, qui ad conciones eas ſe conferebant, ut docti viderentur.

§. LIII. Quod ſi ab indocto vulgo ad viros eruditos tranſeamus, quamvis plura cum indoctis communia ad Oratorias illas actiones audiendas eos impellerent, alia abs dubio erant, quae eoſdem ad forenſes hos conventus frequentandos permoverent, praeſertim, qui erant, vel Oratoriae, vel Jurisprudentiae ſtudioſi, aut profeſſores. Iſti enim eo conſilio ad Oratores audiendos accedebant, vel ut ſtatum Cauſſae agnoſcerent, vel ut Oratorum in dicendo, & ſuadendo vim, ac Jurisprudentiae cognitionem obſervarent, vel quibus Juris praeſidiis Cauſſa firmari poſſet intelligerent, vel tandem ut imitarentur actionem, eloquentiam, pronunciationem, rerum ordinem non praepoſterum in Oratione ſervatum: maxime, cum Patroni, vel Actoris munus obibant magni, ac clari nominis Oratores. Maneat

igi-

igitur, accuratum, & defaecatnm Latinum ſermonem ſupra captum Romanorum indoctorum fuiſſe, & vix ab eis intelligi potuiſſe, praeſertim, cum Oratorio ornatu veſtitus erat, niſi forte a nonnullis, qui in librorum eleganter ſcriptorum lectione verſati erant, eoſque multo conatu adhibito intelligebant. Quamquam non tam ſit difficile, ſcriptum ſermonem capere, quam velociter pronunciatum: quod vos experti eſtis, qui Gallicum, & Graecum ſermonem in libris intelligitis, quem forſitan non caperetis, a Graeco aliquo, vel Gallo eloquenti recitatum.

§. LIV. Nunc, quoniam, his complanatis, expedita eſt via, inſtitutum iter proſequamur, & rem, de qua praecipue erat ſermo denuo urgeamus. Vivebat ergo Latina lingua in argenteo, & aureo Latinitatis ſaeculo, ut etiam in ſaeculis, non multum ab illis remotis, quamvis ea, non in ore vulgi eſſet, ſeu quamvis illo tantum uterentur, vel uti poſſent Viri docti, & Diſciplinis, ſaltem ad Grammaticam Latinam ſpectantibus eruditi. Vivebat nempe in Romano Senatu, in judiciis, in legibus, & Senatus-Conſultis, Latine ſcriptis, & promulgatis: vivebat in ſcholis, & literariis congreſſibus: vivebat in libris: vivebat demum in Foro, cum Oratores Cauſſas agebant. Quis enim reputet mortuam Latinam linguam, hoc uno nomine, quod vulgus ea non uteretur, ſeu quod ea muliones, coqui, ſervi, bajuli, propolae, mulierculae loqui neſcirent, niſi hos vitae, & necis Latinae linguae arbitros & ſupremos dominos faciamus? Licet enim iſti Latini ſermonis eſſent imperiti, & corruptiſſime loquerentur, ejuſdem expertes non erant viri docti, & flos Romani populi, in quo ſuadae medulla, ut verbis utar Ennii, reſidebat.

§. LV. Hi nempe Latine loquebantur, Latine ſcribebant, & quidem eleganter, cum res poſtularet. Hi Cauſſas Latine orabant, reſponſa de Jureconſulti dabant, leges rogabant, & promulgabant, eaſdemque, ſi opus eſſet, emendabant, & antiquabant, conſentiente populo. Inſcriptiones in publicis aedificiis, & monetis, aliiſque metal-

F lis,

lis, ut rerum memorabilium, quae contingebant, memoriam poſteris commendarent, incidebant; omniaque pura Latinitate conſignabantur a Viris Latii ſermonis non imperitis. Quamquam hi, ut dictum eſt, ut ſe ſe vulgo accomodarent, & commendarent, utque ab imperitis intelligerentur, corrupto eorum ſermone ſaepe, cum illis agentes, uterentur. Quod etiam nunc facere doctos Ferrarienſes cernimus, qui quidem, ut dictum eſt, quamvis Etruſco ſermone, invicem loquantur, eodemque eleganter ſcribant; quoties cum ſervis, cum ancillis, cum colonis ſuis, & ruſticanis loquuntur, corruptiſſime, & dimidiatis Italis vocibus, eorum more loquuntur: quin propterea dici poſſit, Etruſcum ſermonem Ferrariae extinctum, ſeu Etruſcam linguam non vivere, ſed mortuam eſſe. Quis enim id dicere audebit in Civitate, in qua tot Poetae, & Oratores inſignes, tot Viri docti in Etruſca lingua verſati reperiuntur, eandemque ſcriptis ſuis illuſtrant? Si ſermo aliquis vivus dici non poteſt, niſi communis, & vulgaris ſit, affirmare oportebit, ab iis, qui putant, omnes Romae olim purum, & caſtum ſermonem Latinum loquutos, Ciceronis, & Virgilii aetate extinctum fuiſſe, vel viventem non fuiſſe poeticum, & oratorium Latinum ſermonem, cum ne docti quidem omnes ſcirent oratorie, ſeu eleganter, & ornate dicere, nec poetico ſermone loqui; quod quidem, qui dixerit, multum mihi videtur, a vero aberrare.

§. LVI. Illud quin etiam opinari oportebit, Latinam linguam in Latio quidem vivam fuiſſe, ſi verum ſit, in Latio etiam indoctos recte Latine loquutos, & in tota etiam, ſi velitis, Italia, priſcorum Romanorum tempore vixiſſe: extra Italiam vero in Provinciis mortuam fuiſſe; cum certum, atque indubitatum ſit, in Romani Imperii Provinciis Latinam linguam communem, & vulgarem non fuiſſe. Quis enim ſibi perſuadeat, Atticam linguam Graecos Athenienſes, ut Romanam adoptarent, reliquiſſe? Cum ſciamus, poſt Romani Imperii occaſum, & Latinae linguae etiam in Italia magnam inclinationem, Atticam lin-

guam

guam in Oriente incorruptam, florentemque, uſque ad Imperii Orientis excidium, a Turcis importatum, inter doctos viguiſſe, eademque ſoluta, & carminis legibus adſtricta oratione ſcripta non pauca, & Graecos, & Aſiaticos edidiſſe. Et quod ad Hebraeos attinet, difficile erit documentum aliquod proferre, quo oſtendi poſſit, ante Hieroſolymorum ruinam, quae ſub Veſpaſiani imperio contigit, Romanam linguam apud Hebraicam gentem in uſu fuiſſe: qua procul dubio ſuam hiſtoriam Joſephus, & non Graeca lingua, ſcripſiſſet, ut victoribus Romanis, quibus charus fuit, rem gratam faceret, ſi ea ſaltem Sacerdotes, & Viri docti Hebraeorum fuiſſent exculti. Ex quibus non obſcure conficitur, Latinum ſermonem, ſeu Romanam linguam priſcorum Romanorum aevo viventem, vigentemque linguam fuiſſe, quamvis ea communis, & vulgaris non eſſet, ſeu quamvis illius expertes dicamus, qui ingenuis Diſciplinis non erant eruditi.

§. LVII. Quod, ſi ita eſt, ut mihi videtur demonſtratum, quis mecum non fatebitur, Latinam linguam nunc temporis etiam in vivis eſſe, quamvis ea communis, & vulgaris, ſeu in ore vulgi non ſit? Quis enim mortuam arbitrabitur, cum ea tot Viri docti, & eruditi, in Europae ſaltem, & Americae regnis ea uti poſſint, ſi velint, & frequentiſſime ſermone, voce, ſcriptoque ea utantur? Vivit nempe ea, ut priſcorum Romanorum aetate, in ſcholis, in quibus Artes, & Diſciplinae ingenuae Latino ſermone traduntur. Vivit in theatris litterariis, cum publicae concertationes habentur, ac orationes Latinae elegantiſſimae recitantur. Vivit in templis, in quibus non ſolum laudes Deo O. M. Latine concinuntur, ſed innumeri, ſacris addicti miniſteriis cum Deo, cum Superis, cum fideli populo in publicis precibus, in Sacrificiis, in Sacramentorum adminiſtratione, in ſacris ritibus Latine loquuntur. Vivit in Viris doctis, qui Latine, & quidem eleganter ſcribere, & loqui valent. Vivit in libris, & quidem in multo pluribus, doctioribus, & utilioribus iis, quos

Romani habebant. Vivit demum in marmoribus, & metallis, tum antiquis Romanorum, tum recentibus, in quibus Inſcriptiones plurimae leguntur, quae priſcorum Romanorum aetatis aureae videri poſſunt.

§. LVIII. Quamobrem nemo mihi occinat, Latinum ſermonem hodiernum multum ab antiquorum Romanorum aetatis aureae, & argenteae Latinitate diſtare: neque poſſe Latina recentia ſcripta cum antiquis conferri, omneſque, qui noſtra aetate ſcripſerunt, vel Hiſtoriam, vel Epiſtolas, vel Orationes, vel Inſcriptiones, vel Carmina, infra Plautum, Terentium, Ciceronem, Virgilium, T. Livium, C. Caeſarem, Salluſtium, Horatium, Phaedrum, Plinium, Suetonium, Tacitum, & Juſtinum eſſe. Si quis id contendat, hocque velit, opinionem, & praejudicia ſua de Morte Latinae linguae tueri; intelligat, valde levi fulcro opinationem ſuam niti. Nam praeterquamquod hac in re *Phronimum*, & *Technophilum*, alioſque non paucos diſſentientes habebit, hac ratione evinci poſſet, ante occaſum Romani Imperii, ſeu ante Barbarorum in illud irruptionem Latinam linguam occubuiſſe: cum poſt aureum, argenteumque ſaeculum qui ſcripſerunt, inferiores multis partibus fuerint Scriptoribus, ſaltem inſignioribus, qui eas aetates illuſtrarunt. Et quamvis noſtrae aetatis Scriptores pares non ſint argenteae, & aureae aetatis illuſtratoribus ſupra relatis, inferiores non ſunt ethnicis Scriptoribus, qui poſt binas aetates eas ſcripta nobis reliquerunt. Inferiores autem? Imo eorum multis, in elegantia, & Latini ſermonis ſtructura ſuperiores fuiſſe pene innumeros affirmare, non dubitarim.

§. LIX. Quid? quod licet cultiores, & puriores Latini ſermonis Scriptores, qui noſtra hac aetate floruerunt, aequari non poſſint Ciceroni, Livio, C. Caeſari, Salluſtio, Virgilio, Horatio, Ovidio, aliis; proxime tamen eos in ſoluta, & poetica oratione attigerunt. Quotus quiſque tam pertinax temporis acti laudator erit, qui neget, regnante Leone X. Pont. Max., ſub cujus tutela, & praeſidio huma-

maniores litterae refloruerunt, & poſt illum non paucos extitiſſe, qui tam perfecte praecipuos, & celebriores Romanos Scriptores, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, ſunt imitati, ut valde ſit difficile, ſi ex Hiſtoricorum, Poetaaum, Oratorum recentium, & antiquorum ſcriptis loca extracta inter ſe conferantur, quaenam ſint recentium, quaenam antiquorum dignoſcere: etiam ſi ſagax, & perſpicax Criticus velit de diſcrimine inter locum, & locum judicare.

§. LX. Fiat periculum, ſi placet in fragmento aliquo Petri Bembi, Sadoleti, Longolii, Majoragii, Aonii Palearii, Oſſorii, Caſae, utriuſque Manutii, Ludovici Vives, Mureti, Perpiniani, Maffei, Marianae, Petri Fonſecae, Riberae, Andreae Schotti, Stradae, Erythraei, Ferrarii, Juvencii, Vavaſſoris, Martini Alonenſis Decani, Lagomarſinii, Fineſtreſii, Majanſii, Bajerii, ut de innumeris aliis, & de vivis taceam, qui ſoluto ſermone, vel Latinas Epiſtolas, vel Hiſtoriam, vel Dialogos, vel Orationes, vel Tractatus alios ſcripſerunt. Tollantur Auctorum nomina, atque praejudicia, ut antiquis faventia, ita recentioribus parum aequa: conferatur cum fragmento de ſimili argumento, aut in ſimili ſcriptionis genere (*) antiqui Romani Scriptoris: & vanus ominator fuerim, ſi divinetur, cujuſnam tandem ſit alterutrum fragmentum, antiqui ne, an recentis Scriptoris?

§. LXI. Idem affirmo, ſi fiat periculum de carminibus aliquot recentium, & veterum Poetarum, & alia cum aliis conferantur. An non Famianus Strada in ſuis Proluſionibus ita imitatus eſt in variis argumentis veterum ſtylum Poetarum, ut nec ovum ovo, & lac lacti magis ſit ſimile, quam ſimilia ſint Stradae carmina carminibus veterum Poetarum, quos ſibi propoſuit imitandos? Ut mihi vel riſu, vel contemptu digni videanrur Critici nonnulli, qui adeo ſe exiſtimant perſpicaces & ſagaces, in diſcernendis carminibus veterum, & recentium Poetarum, ut linceis oculis, & odora veluti venaticorum canum vi

F 3 prae-

praediti videri velint, quod attinet ad diſcernendum inter veteres, & recentes poeticas lucubrationes. Notum vobis eſt, quam glorioſus eſſet hac in re, quantumque ſibi tribueret Joſephus Scaliger. Si eidem de ſe praedicanti fides eſſet adhibenda, uti nos odoratu, & guſtu vinum ab aceto diſtinguimus, ita ille poterat ſuae mentis ſagacitate, & Critices guſtu inter antiqua, & nova carmina diſcernere.

§. LXII. Magnificam hanc Scaligeri de ſe opinionem non ignorans M. Ant. Muretus, ut ejus arrogantiam, & philautiam, vel reprimeret, vel emendaret; curavit, ut ad Hypercriticum deferrentur, a ſe non indiligenter lucubrata carmina, quae inventa dicerentur in bibliothecae, neſcio cujus antiquiſſimis membranis, litteris, jam fugientibus, ſcripta, ad quorum exemplar erant illa, quae ad Scaligerum mittebantur, exarata. Ut accepit, & legit Scaliger ea carmina poſt brevem moram profundae meditationis, dixit afferenti, eſſe procul dulbio carmina illa poetae antiqui, & quidem non vulgaris. Illud unum ſibi dubium, nec vero ſe audere definire, cuinam ex celebrioribus Poetis antiquis eſſent adſcribenda: jamque decreverat, verſus illos, inter inedita veterum Poetarum publici juris facere, cum Muretus eum amice admonuit, ne ſe irridendum litteratis praeberet, venditans illa carmina, quae Mureti erant, ceu carmina Poetae ex antiquis celebrioribus.

§. LXIII. Quid? an non audiſtis, Criticos certare, & adhuc ſub judice litem eſſe, utrum omnes, quae ſub Phaedri nomine vulgantur Fabulae, Phaedri revera ſint, an Perotti, vel Phaerni, ſaltem non paucae? neque vobis ignotum arbitror, nondum conveniſſe inter Criticos, num revera Q. Curtii ſit, an recentis Scriptoris Alexandri Magni rerum Hiſtoria? Num M. Tullii Conſolatio in morte Tulliolae ſuae, ſeu opuſculum *de luctu minuendo* revera ſit Ciceronis? num item ejuſdem ſit reſponſio ad maledicta Salluſtii, quae inter opera Ciceronis invenitur, aut recentis cujuſdam Declamatoris? Poſſem plura alia in medium proferre ſimi-

lium

lium dubiorum exempla, quae oſtendunt, quo loco habenda praejudicia eorum, qui putant, recentes, ſeu noſtrae aetatis Scriptores non poſſe in Poeſi, neque in ſoluta Latina oratione cum antiquis conferri, omnemque Poeticae venuſtatem, & Latini ſermonis munditiem cum veteribus intercidiſſe. Qua in re mihi videntur litteratorum aetatis noſtrae ingenio induſtriaeque injuriam, & contumeliam irrogare. Si enim recentes nonnulli Pictores, Statuarii, Architecti potuerunt antiquorum gloriam in pingendi, fingendi, architectandi artificio ita aemulari, ut pares illis fuiſſe arbitremur; cur praeſentium, vel recentium litteratorum ingeniis, & induſtriae ſimilem laudem invidebimus, ſolumque Scriptores illos Latinos laudabimus, quos antiquitas, & libitina ſacrarunt?

§. LXIV. Nec propterea, audiendum cenſeo virum, nimium audacis, & ad ardua ſemper connitentis critices Arduinum, qui multis rationibus conatus eſt orbi litterario ſuadere, Virgilii AEneidem, Odas Horatii, & plura alia Latina opera, quae antiquis Romanis, & quidem illuſtrioribus adſcribuntur, non genuina eſſe, ſed ſuppoſititia: non aetatis aureae, & argentae Latinitatis, ſed longe poſterioris aevi Scriptorum, cum nempe jam Latina lingua a ſua puritate, & priſtina integritate exciderat, ſeu cum Latinus ſermo multis barbariſmis, & ſoloeciſmis, quos in *Odis* Horatii, & *AEneide* Virgilii paſſim notat, jam ſcatebat.

§. LXV. Quae ego eam ob rem commemorare volui, ut Critici noſtrae aetatis, qui antiquos Latinos ſcriptores mirantur; recentes autem, tanquam multum illis inferiores deſpiciunt, praejudicia ſua tandem agnoſcant, eaque deponentes Critice utantur recentibus aequiore. Ut item vos agnoſcatis, me non ſine magni momenti rationibus a communi opinione receſſiſſe, cum affirmate dixi, & vobis probare in me recepi, Latinam linguam nunc temporis non extinctam, non mortuam, ſed adhuc viventem, & vigentem eſſe: niſi dicamus, eam nec Romano-

rum

rum quidem priſcorum aureae aetatis, & argenteae temporibus in vivis fuiſſe. Illud unum Criticis largiar, Latinam linguam poſt Romani Imperii occaſum, & Barbarorum in Europae Provincias cultiores incurſionem, multis damnis, & detrimentis affectam, & ejus nitore obſcurato, veluti eclipſim paſſam, parum etiam integra valetudine, uſque ad Leonis X. Pontificatum fuiſſe; convaleſcere autem poſt inventam typographiam coepiſſe, & tandem priſtinam ſanitatem, ac ſplendorem eidem reſtitutum ingenio, & induſtria plurium inſignium Littetatorum, qui, debellata barbarie, priſcorum aureae, & argenteae aetatis inſigniorum Scriptorum diligentiam, in caſtigata, pura, ac eleganti Latinitate aemulati, & ſcientias omnes illuſtrarunt, & famam nominis ſui ſerae poſteritati tranſmiſerunt. Potuit nempe de ſe confidenter canere Latina lingua, cum jam adoleverat, quod Horatius de fama, & gloria, quam ex lyricis Latinis carminibus ſibi adpromiſit *Ode XXIV. lib. III.*

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit libitinam: uſque ego poſtera
Creſcam laude recens.

§. LXVI. Haec cum dixiſſet *Cenſorinus* continenti ſermone pro vita Latinae linguae, & cauſſam peroraſſet; aggrediebatur de veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum Latinitate diſſerere. Verum admonitus, imminentem noctem reditum ad Urbem ſuadere, finem dicendi fecit. Tunc omnes bene precati, & *Cenſorino*, & Latinae linguae, conſurrexerunt, & Ferrariam, exacta jam hora XXIV diei, invicem colloquentes redierunt, rogantes *Cenſorinum*, ut quae de Latinitate priſcorum Chriſtianorum dicturum ſe erat pollicitus, & nondum aliis intentus praeſtiterat, vel voce, vel ſcripto, quanto citius poſſet, eiſdem dignaretur impertiri. Quod ille poſt dies aliquot, Deo auſpice, praeſtiturum, & quidem cum foenore, denuo eſt pollicitus: tum, ut eiſdem obſequeretur, & obligatam eiſdem fidem ſolveret, tum etiam, ut veterum Chriſtianorum, &

Ec-

Eccleſiae Patrum Latinitatem a multorum Criticorum contemptu, & conviciis vindicaret.

ADNOTATIONES II. DISSERTATIONIS SIGNATIS §§., SEU NUMERIS RESPONDENTES.

Adnotatio I. reſpondens num. XIV.

V*Idetur* Scarronellus *olim Horatii* Epiſt. V. lib. I. *legiſſe, ubi de vino, pluſquam ſatis eſt, potato, ait per jocum, ut exiſtimo, Satyricus ille:*

Sollicitis animis onus eximit: addocet artes.
Foecundi calices quem non fecere diſertum?

Adnotatio II. reſpondens num. XV.

Quae de Cratino narrata fuerant Scarronello *a Viris illis eruditis ſumpta ſunt ex* Epiſt. 19. lib. I. *ejuſdem Poetae, ubi haec ad Moecenatem:*

Priſco ſi credis, Moecenas docte, Cratino
Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus: ut male ſanos
Adſcribit liber Satyris, Fauniſque Poetas.
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.
Ennius ipſe Pater nunquam, niſi potus, ad arma
Proſiluit dicenda. cet. cet.

Adnotatio III. reſpondens num. XVI.

Ea quae narrat Scarronellus *de Baccho, & Apolline, Parnaſſo expulſo, deque vini fontibus, conficta ſunt ab ipſo, qui putat, ſe auctoritatem habere Mithologiam novis fabulis augendi, & antiquas emendandi: affirmatque Bocacium, & Arioſtum parum felices in cudendis novis fabulis fuiſſe, ſibique hac in re pares non eſſe. Ait inſuper, ea quae narrantur a Boccalino in ſuis Centuriis, ut etiam a Sancta-Crocio in libro ſuo inſcripto*: Segretaria d' Apolline (*idem dixiſſet, ſi Cervanteſii Hiſpani* Iter ad Parnaſſum *legiſſet*) *intelligenda de Apolline in Parnaſſo regnante, vel ante reditum Bacchi*

ex

ex Oriente, vel cum denuo in Indiam perrexit ad puniendos, & ſubjugandos populos rebellantes. Tunc enim Jovis decreto, Apollo iterum, abſente Baccho, Praeſes Muſarum, & Poetarum Moderator conſtitutus eſt: cum antea e Parnaſſo ejectus Medicinae artem una cum Æſculapio, ut victum ſibi, & filio compararet, exercuiſſet, & idcirco Apollinea *nunc ars illa a Medicis vocatur.*

Adnotatio IV. reſpondens num. XXII.

Non placebant, quia nimis generales, Polyhiſtori, rationes adductae ab Scriptoribus de re ruſtica, *Catone, Varrone, Columella, Virgilio, qui lib.* 2. Georg. *haec canit:*

Principio arboribus varia eſt natura creandis:
Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipſae
Sponte ſua veniunt, campoſque, & flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentaeque Geniſtae,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni,
Naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni. &c.

Adnotatio V. reſpondens num. XXVIII.

Joan. Georg. Valchius Criticus, & Hiſtoricus cum Cenſorino *facit, & Jove aequo, ut ait ille, judicat reprehenſione dignos illos exiſtimans, qui ita elegantibus Ethnicis Latinis Scriptoribus dediti ſunt, ut Sanctorum Librorum, quia minus elegantium lectionem devitent, horreant, aſpernentur, (a qua imbecillitate immunem ſe olim omnino non fuiſſe Sanctus Hieronymus fatetur) atque aliis auctores ſint, ut ab eorum lectione abſtineant. Narrat Valchius, fuiſſe poſt reparatas litteras ex eruditionis, & Latinitatis Inſtauratoribus, qui per nimia harum rerum ſtudia ita fuerunt capti, ut ſacris libris, aut nullam dederint operam, aut per maximam mentis impietatem animum ab illis alienum declaraverint. Quae Cicero, Livius, aut Virgilius ſcripſerunt magis illis placere, quam quae ipſe Deus ad ſalutem illorum ſempiternam dixit, ac litteris conſignanda curavit. Inter hos ſacrarum litterarum aſpernatores, citato Ludovico Vives* De Veritate Fidei Chriſtia-

nae

nae *lib. II. pag. 264., numerat Angelum Politianum. Illis nempe, qui hujuſmodi ſtudiis ſunt unice innutriti (quod D. Hieronymo contigit) alii libri, qui Romanam elegantiam non praeſeferunt, rudiores, horridiores, & impoliti videntur. In tam digno argumento Declamatorem agit Valchius, licet brevi ſermone, magis quam Hiſtoricum. Quamobrem praetermittendus mihi non fuit ſine commendatione. Praeſertim cum Criticus iſte ſcripſerit in ſaeculo, in quo ex Orco prodierunt tot Sacrae Paginae, ſeu Divinorum eloquiorum Oſores, & Contemptores.*

Adnotatio VI. reſpondens num. XXXVI.

Interrogatus domi poſt habitam Diſſertationem Cenſorinus a duobus Hiſpano-Americanis Corteſio, & Requeſenſio, *cujuſmodi ipſi videretur vulgaris Romanorum ſermo Ciceronis aevo? reſpondit, ſibi videri non multo elegantiorem, & accuratiorem eo, quo vulgus Romae utebatur, centum quinquaginta, ante Ciceronis ortum, annis: cum illo annorum ſpatio fieri non ſoleat magna immutatio in vulgari ſermone. Nonnulla quidem centum antea annis uſitata vocabula in deſuetudinem abiiſſe Ciceronis aetate: alia vero inducta ex linguis variarum Nationum, quae Romam confluebant. Unde exiſtimabat, Latinae linguae nunc peritos vix intellecturos Latinum vulgarem ſermonem, qui aevo Ciceronis vigebat, ſi ſcriptus inveniretur, vel ſi Romanus unus aliquis nunc reſurgeret, & eo ſermone loqueretur: cum Quinctilianus affirmet, peritiſſimos Interpretes ſui temporis vix antiquum Latii ſermonem intelligere potuiſſe. Quiſnam autem eſſet ſermo vulgaris Romanorum CL. annis ante Ciceronem, cum jam a Viris litteratis excoli coeperat Latina lingua, conjectare licet ex Inſcriptione poſita L. Scipioni, qui Corſicam cepit, ad an. Urbis conditae DXIV., ante Ciceronem CL. annis plus minuſve: quae quidem Inſcriptio videtur ſermone tunc vulgari exarata: nam Viri docti initio ſaeculi V. Urbis conditae videntur melius locuti, vel melius ſaltem Latine ſcripſiſſe, licet horridi adhuc eſſent, obſcuri, & impoliti. Inſcriptio ea, quae effoſſa dicitur Romae ad Portam Capenam, ſic habet ex Sirmondo, & Muratorio in Inſcriptionibus antiquis, ab illis collectis, & editis:*

Hoinc

Hoinc Oino, Ploirum conſentiont. R
Duonoro. Optumo. fuiſſe. Viro
Luciom. Scipione. Filios. Barbati
Conſol. Cenſor. AEdilis. Hic Fueta.
Hec. coepit. Corſica. Aleriaque.
Dedet. Tempeſtatibus. AEde. Mereto

Sic eam interpretatur Jeſuita Jacobus Sirmondus:

Hunc unum plurimi conſentiunt Romae
Bonorum optimum fuiſſe Virum
Lucium Scipionem. Filius Barbati
Conſul, Cenſor, AEdilis hic fuit.
Hic cepit Corſicam, Aleriamque Urbem.
Dedit Tempeſtatibus aedem merito.

Quinctiliani aetate magna immutatio facta fuerat in Latino ſermone, quo ſcripſerunt in aurea aetate Viri eruditi. Vide Adnotationem VIII. ad Diſſert. I.

Adnotatio VII. reſpondens num. XXXVIII.

Si ſtricte, & ſine praejudiciis rem obſervare velimus, vix ulla lingua, ſive viva ea, ſive mortua dicatur poſt linguarum confuſionem, ſeu poſtquam terra eſſe deſiit labii unius, aſſignari poteſt, quae pura dicenda ſit. Omnes nempe linguae miſtum quoddam ſunt ex variis vocibus, ad diverſas linguas pertinentibus. Ac, ut de linguis magis notis loquamur: lingua Hiſpana miſtum quoddam eſt ex vocibus Graecis, Latinis, Arabicis, Gothicis, Punicis, Cantabricis (hae linguae antiquae Hiſpanae, ante Romanorum dominationem voces eſſe putantur) Gallicis, Provincialibus, ſive Catalanis. Lingua Gallica ex Celticis, Germanicis, Italis, Graecis, & Latinis vocabulis. Lingua Itala, praeter plura Graeca, Latina, Longobardica, continet non paucas voces Provinciales, Lemovicenſes, ſeu Catalanas. Quocirca exiſtimo, Latinam linguam, qua loquebantur, & in qua ſcribebant viri eruditi ſaeculi aurei, & argentei Latinitatis, puram Latii linguam non fuiſſe, ſed miſtum quoddam non modo ex Graecis, Etruſcis, Volſcis, Sabinis, Fidenatibus vocabulis; ſed etiam ex Hiſpanis, Punicis, Syriacis, Perſicis, Hebraicis. Et quidem voces

Pe-

Petorritum, Rheda, *quibus uſi ſunt Cicero, & Horatius, voces Gallicae erant*. Mappa, Mapalia, Magar, *ſeu* Magalia, Badagra *Punicae*: Gaza, Paraſanga, *Perſicae*. Gurdus, Cetra, Lancea, Spartum, Briga, Canthus, Leberides, Baccha, Buteus, Falarica, Cuſculium, Dureta, Celia, *voces antiquae linguae Hiſpanae*. Manna Mammona *Syriacae, vel Hebraicae: ut mittam alias, quibus uſi ſunt J. Caeſar, Livius, Plinius M., & Scriptores alii Latini bonae aetatis. Vide Aldretum* de Origine linguae Caſtellanae, *ubi de bujus linguae miſtura. Jam vero, ſi haec vera ſint, ut eſſe videntur, quiſnam, oro, fuit qui, aut locutus fuerit, aut ſcripſerit unquam pura Latinitate, etiam, cum Latina lingua vivere dicebatur? Aut cur non pura Latinitate ſcripſiſſe dicendi ſunt veteres Chriſtiani, Eccleſiae PP., & SS. Doctores, licet nonnullis novis vocibus cum Latina inflexione uſi fuerint, vel ex Graeca, vel ex Hebraica, vel ex alia lingua acceptis, ad res ſacras, & Eccleſiaſticas ſignificandas? Optarem, mibi hunc nodum ſolveret* Puriſtarum *natio, quae luteam, ferream, barbaram, ac, minimum, aeneam appellat veterum Chriſtianorum Latinitatem. Vellem item, ut hunc alterum ſcrupulum mihi eximerent. Cur nempe veteres PP. & Eccleſiae D. D., qui rudem plebeculam ſcriptis, & concionibus ſuis erudientes, nonnullis vocibus, & phraſibus, vulgo indocto familiaribus, in Latino ſermone utebantur, ut a vulgo melius intelligerentur, Donati regulis Divina eloquia conſtringi indignum reputantes* (*quod ſe facere ſcribit Gregorius Magnus in libris* Moralium in Job *ad amicum ſuum D. Leandrum, Hiſpanum Praeſulem, ad quem illos mittit*) *: cur, inquam, Latini ſermonis imperiti dicendi ſunt, & Latini ſermonis peritiſſimos appellabimus Ethnicos Scriptores Grammaticorum regulas negligentes, nova vocabula inducentes, & plura novantes in Latino ſermone? Ex SS. Latinae Eccleſiae D. D. qui minus accurata Latinitate uſus videtur, Gregorius M. fuit: & vix crediderim, illum puri Latini ſermonis imperitum fuiſſe. Erat ille magno ingenio praeditus: erat Senatoris Romani filius, atque adeo in litteris Latinis a puero diligenter eru-*

eruditus: Praetorio munere laicus functus fuerat: ac, ut ſcribit Joannes Diaconus in ejus Vita, magno ſtudio curabat, ut in Palatio ſuo, inclinante jam in Italia Latina lingua ob dominationem Barbarorum: ut inquam, omnes a maximo ad minimum recte Latino ſermone loquerentur. Nihilominus plus apud ipſum valebat charitas in plebem a Deo ſibi commiſſam, quam in divinis eloquiis erudire cupiebat, quam Latinae linguae ſtudium, quo calebat, & idcirco, ut ab omnibus intelligeretur, in nonnullis ſcriptis ſuis non aeque Latinus, ac in aliis videtur, licet in omnibus ſingularem doctrinam, & coeleſtem ſapientiam, qua inſtructus erat, oſtendat.

Hactenus dictis de Latina lingua addere poſſem teſtimonium Dionyſii Halicarn. dicentis in fine lib. 1. Antiquit. Roman. Romanos nec ferme Graeca lingua, nec plane barbara uſos, ſed ex utraque conflata; maximam vero partem Aeolica. *Item aliud L. An. Senecae epiſt. 39,* Olim cum Latine loqueremur, Summarium vocabatur, nunc Breviarium. *Demum Quintiliani* Inſtit. lib. *9.* cap. 3. *indicantis, aetate ſua nihil fere puri, nihil integri relictum in Latina lingua. Et in Dial.* de claris Oratoribus *ſub Materni Perſona ajentis*: in quoquo verbo quotidiani ſermonis foeda, & pudenda vitia deprehendi. *Quibus verbis clare indicat, Romani vulgi ſermonem valde corruptum, atque inquinatum: nec enim exiſtimo de Eruditorum ſermone loqui. Quod ſi horum etiam ſermonem intellexerit, animadvertendum eſt, hanc corruptionem, haec vitia non adſcribere Chriſtianis Scriptoribus Latinis, qui nec multi erant, nec eorum ullus fortaſſe a Quintiliano fuerat lectus. Videndus omnino Seneca Epiſtola* 115., *quae eſt* 2. *libri* 20. *Epiſtolarum, de vitioſa Oratione, non ſolum a* corona ſordidiore *uſitata, ſed etiam a* turba cultiore. *Utrum autem Seneca incurrat in vitia, quae in aliis notat? Critici judicent.*

Adnotatio VIII. reſpondens num. XLI.

Id ipſum affirmari poſſet de Sempronia, de qua Salluſtius in Conjuratione Catilinae ait, fuiſſe litteris Graecis, & Latinis doctam: potuiſſe verſus facere, jocum movere, ſermone uti

vel

vel modeſto, vel molli, vel procaci: eidemque tribuit multas facetias, multumque in dicendo leporem &c. Idem de Polla Argentaria Lucani uxore, quae dicitur, emendaſſe, vel Maritum ſuum, juſſu Neronis occiſum, adjuviſſe in emendandis Pharſalidos *prioribus libris. Idem demum de Helvia, ſive Albina, L. An. Senecae Matre, ad quam ſcripta fuit a Filio in Corſicam juſſu Claudii relegato conſolatoria epiſtola bene longa, in qua plures graviſſimae ſunt ſententiae Stoico Philoſopho dignae, quae ſolatio exſulibus eſſe poſſunt.*

Adnotatio IX. reſpondens num. XLIV.

Ciceronis aevo, id teſtante ipſo Cicerone, corrumpi jam coeperat Latina lingua, etiam apud Viros eruditos, & ruſtica aſperitate in pronuntiatione, & peregrinitate vocum ex diverſis nationibus Romam confluentibus, ut item domeſtica barbarie, monetque Tullius, fugienda haec vitia ab Oratore. Ait etiam, expurgandum Latinum ſermonem, adhibita ratione, quae mutari non poteſt, nec utendum praviſſima conſuetudinis regula. Vide Cicer. lib. 3. de Oratore, & in Bruto cap. 14. *Juvat heic animadvertere, nondum Ciceronis aevo Romae comparuiſſe Hiſpanos illos, qui corruptores dicuntur boni guſtus, & puritatis Latini ſermonis.*

Adnotatio X. reſpondens num. XLV.

Auguſtus Caeſar, neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites loquebatur unquam, niſi meditata, & compoſita oratione. Sermones quoque cum ſingulis, etiam cum Livia ſua, graviores non niſi in ſcriptis, & e libello habebat. Ita Suetonius in Vita Auguſti *cap.* 84. *utebatur proculdubio hac cura, vir Latinae, & Graecae linguae peritiſſimus, nequid illi excideret in extemporali oratione, quod minus Latinum eſſet, atque adeo indignum Romano Imperatore.*

Adnotatio XI. reſpondens num. LX.

Julius Caeſar Scaliger, Joſephi Pater, praefert quamdam Elegiam Baltaſſaris Caſtiglionis Mantuani, qui Toleti obiit an. 1529. *omnibus Elegiis Propertii, qui inter antiquos Latinos Poetas celebriores plurimum a Criticis commendatur.*

Q. MO-

Q. MODERATI CENSORINI

DE VITA, ET MORTE LATINAE LINGUAE

DISSERTATIO III.

In qua, utrum priſci Chriſtiani Scriptores, & Eccleſiae Patres fuerint Latinae linguae corruptores, an de ea benemeriti? *Praemittuntur Colloquia inter* Timioxenum, *& Hiſpanos aliquot.*

CUm in forum conveniſſent, egreſſi ex primario templo Ferrarienſi, hora poſt meridiem ſeſqui tertia *Cenſorini* ſodales; moram illic faciebant, praeſtolantes *Cenſorinum*, quem putabant non multo poſt cum *Timioxeno* adfuturum. Adveniente *Timioxeno*, interrogarunt eum de *Cenſorino*, num forte in templo orantem reliquiſſet? Reſpondit ſe *Cenſorinum* non vidiſſe, ex quo ad Paduli ripam una fuerant, ſeque arbitrari, aut eum parum recte valere, aut valde per eos dies occupatum fuiſſe. Praeſtolemur, addidit, tantiſper eum, qui, ſi poſt brevem moram non advenerit, adire eum poſſumus, ut dubitationem deponamus. Quid opus eſt, omnes eum adire? inquit *Phronimus*: ſatis eſt, unum aliquem ex nobis eum convenire, eidemque renunciare, nos illum in foro exſpectare, ut ſi illi grave non fuerit, uniter deambulatione pomeridiana nobiſcum corpus exerceat, & animum noſtrum paſcat erudito ſermone, quem pollicitus eſt, ſe ad nos habiturum, ut priſcos Chriſtianos Scriptores vindicet a nota, qua a Criticis inuruntur Latinae linguae corruptorum. Si vultis ego grallatorio gradu ad illum pergam, inquit *Hiſpano-Luſitanus*, & quamvis aedes, quas inhabitat, remotae ſint, quid

quid ejus morae cauſſa ſit ſtatim reſcietis. Rem pergratam omnibus facies, inquit *Technophilus*, aſſentientibus caeteris, ſi laborem hunc in te recipias: & multo gratiorem, ſi eum ad nos deducas, ut una deambulemus.

§. II. Vix aſſenſi fuerunt, cum ille iter arripuit, admonitus a *Timioxeno*, ut ſi forte *Cenſorinus* venire non poſſet ob negotium aliquod, quod illi ſuperveniſſet, ex eo reſciret, quo die poſſet a nobis conveniri. Non multum viae reſtabat conficiendum, ut domum *Cenſorini Hiſpano-Luſitanus* perveniret, cum *Cenſorini* Puerum invenit, manu ſcriptum codicem in manibus ferentem. Is interrogatus de Hero ſuo, reſpondit: accepiſſe litteras ex proximo pago, quibus ei nunciabatur, amicum conterraneum, & convictorem olim ſuum graviter aegrotare: quo nuntio accepto, ſeſe ſtatim in viam dediſſe, ut aegrotantem inviſeret: reliquiſſe vero codicem illum cum mandatis, ut ſodales ſuos, quos in forum conventuros ea hora non ignorabat, a ſe deferretur. Cui *Hiſpano-Luſitanus*: Si vis labori viae parcere, trade mihi codicem: nam ego a ſodalibus Heri tui miſſus fueram, ut reſcirent, quae cauſſa eum morata fuerat, quominus in forum veniret, ubi jamdiu eum praeſtolabantur. Perlibenter, inquit Puer, labori viae parcam: nam alia in mandatis habeo, quae ſunt mihi peragenda. *Hiſpano Luſitanus*, accepto codice, ad forum rediit, citius quam ſodales cogitabant. Narravit quae ex *Cenſorini* puero intellexerat, & codicem oſtendit pueri manu, pulchris characteribus, dictante *Cenſorino*, exaratum.

§. III. Tunc deliberatum, quo eundum, ut tranquille legere, & audire poſſent, quae in manuſcripto continebantur. Alii ad Divi Lucae porticus: alii ad Portam Clauſam prope vetus Dominicanorum Coenobium: Alii ad Carthuſianorum Clauſtra, vel ad Benedictinorum ſpatioſa, & magnifica: alii tandem per interius Urbis pomoerium, quod excurrit a porta, quam *Paulam* vocant ad Arcem, ſeu maximum Urbis propugnaculum. Vicit horum ſententia, quod haec loca viciniora foro eſſent, & omnes diſcupie-

bant, quamprimum legi, quae a *Cenſorino* in manuſcripto lucubrata erant.

§. IV. Jam relicto foro, ad praefinitum locum per proximas Carmelitarum Monaſterio porticus perrexerunt. Cum jam a pomoerio non procul eſſent, interrogavit *Timioxenus* Hiſpanos de Latinae vocis *Pomoerium* origine (utrum cupidus reſciendi, quod ignorabat, an Hiſpanorum in Latinorum vocabulorum Etymologiis indagandis diligentiae periculum faceret? incertum) cui *Phronimus*: Si hic libros Etymologiarum D. Iſidori Hiſpalenſis haberemus, poſſemus ſtatim tibi ſatisfacere: nam puto hujus nominis Etymologiam non omiſiſſe. *Technophilus* addidit, ſe audiviſſe ex *Cenſorino*, cum ambo per murum deambularent, ab antiquis Latinis *moerum* dictum, quem nos *murum* appellamus; & nonnullos eſſe, qui legant lib. 10. *Æneid.*

Atque ipſis praelia miſcent.

Aggeribus moerorum pro *murorum*.

§. V. Si ita eſt, inquit *Hiſpano-Luſitanus*, ut nunc pomeridianum dicimus tempus, quod poſt meridiem excurrit, *Pomoerium* dicetur, quod poſt murum eſt. Ita videtur, inquit *Phronimus*, & hoc pacto originem nominis habemus. At ex ſodalibus alii non adquieſcebant huic ſignificationi; nam apud Romanos *Pomoerium* erat intra, & extra Urbis muros: quo in loco, auſpicato relicto, non licebat nec arare, nec arbores pangere, nec aedificare. Quamobrem *Polybiſtor* exiſtimabat, *Pomoerium* dici quaſi *Promurum*, ſeu muro proximum ſpacium, quod quidem, tam intra, quam extra Urbem religioſum erat, atque augurum ceremoniis, & verbis conſecratum: hancque ſignificationem A. Gellii auctoritate confirmabat. Hoc mihi magis arridet, inquit *Timioxenus*, & non dubito, quin, ſi heic adeſſet *Cenſorinus* eidem haec nominis *Pomoerium* interpretatio, & notio placeret, niſi, ſi vana, & inutilis tota haec de nominum etymologiis doctrina illi, ut non paucis aliis, videatur. Nunquam in animum induxero, inquit *Hiſpano-Americanus* alter, ut credam, viros doctiſſimos Platonem, Varronem,

D.

D. Iſidorum, alios, qui de vocum origine, & earum recondita ſignificandi vi diſſeruerunt, oleum & operam in re vana, & inutili perdere voluiſſe. Quid enim aliud ſunt nomina, quam involutae quaedam rerum definitiones? quae quidem, ſi recte explicentur, locum offerunt ad diſſerendum, non indignum Philoſopho, & Oratore. Sic Cicero a notatione nominis *Conſul*, ſeu ab hujus nominis interpretatione, in *Oratione contra Piſonem*: *Si Conſul*, inquit, *eſt, qui conſulit patriae, Piſo non eſt Conſul, qui eam evertit*. Quid multis opus eſt? Hebraei tanti faciebant interpretationem reconditi ſenſus verborum, ut omnium Diſciplinarum originem, & fontem eam exiſtimarent.

§. VI. Nec immerito id quidem. Cum enim illi crederent, primum humani generis parentem Adamum Hebraicae linguae divino inſtinctu Auctorem fuiſſe, & rebus, quarum naturae intimam cognitionem divinitus acceperat, convenientia, & earum eſſentiam proprie ſignificantia nomina impoſuiſſe, quod ex ſacris litteris conſtat; recte & conſequenter reputabant, in Scientiis, Artibus, & Diſciplinis omnibus majores progreſſus facturum, qui magis in intimos Verborum Hebraicorum reconditos ſenſus penetraret, ſeu eos diligentius inveſtigaret: quod feciſſe M. Areopagitam Dionyſium, de *Divinis Nominibus* ſcribentem, deque *Coeleſti Hierachia*, ex ejus libris ſatis apparet. Erat quippe vocum ſtudioſus inveſtigator, ut altiora quaeque Divinitatis myſteria in divinis vocibus Scripturarum ſacrarum requirere non dubitaret: quo ea aliis manifeſta faceret. Non enim ignorabat, quae magiſter ejus Paulus ad Corinthios ſcribebat, Epiſt. I. cap. 14. *Si ego neſcivero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus*. Quamobrem ſinite de *Cenſorini* judicio ſuper hac re dubitare, aut ne Moderatus Cenſorinus ſit, ſi aliter judicet. Illud forſitan diceret, cui ego facile aſſentiar, plurium nominum originem, & reconditum ſenſum nobis ignotum eſſe, ac ſolum divinando poſſe eorum etymologiam deſignari. Sed jam ſatis eſt de *Pomoerio*, & de

etymologia diſputatum. Videamus nunc, quid pro antiquorum Chriſtianorum, Latinitate ſcriptum reliquerit *Cenſorinus*. Tunc *Hiſpano-Luſitanus*, explicato codice, quem in manibus habebat. Ego legam, inquit, ſi vox mea vobis non diſpliceat, ſcriptum iſtud, vel deambulando interim, vel ſedendo.

§. VII. Cui *Phronimus*: difficile erit inter deambulandum te ab omnibus audiri, quamvis vox tua ſuavis, & canora ſit. Ego ſurdaſter ſum, & fortaſſe ſunt inter nos alii, licet id plane fateri erubeſcant, qui non auriti magis, quam ego. Satius igitur erit ſedere ad muri umbram, quamquam Coelum nubilum ſatis umbrae ſtatim dabit, quin Solis radios timere debeamus. Sedes pro omnibus nobis ſunt paratae, & nemo, ut in templis, a nobis exiget nummos, ut commode ſedere poſſimus, ſuper herbidum ſolum. Et ſecurius, inquit *Timioxenus*, quin corporis pondere ſedes frangantur. Sedeamus igitur, & morem geramus *Phronimo*, ut etiam ne lectori moleſti ſimus, cui repetenda eſſent jam lecta, ſi aut *Phronimus*, aut ex nobis alius, vel aurium vitio, vel ob aliam cauſſam lecta non perciperet.

§. VIII. Aſſenſi *Phronimo*, & *Timioxeno* omnes conſederunt, & in loco ſuperiori ſitus *Hiſpano Luſitanus* clara voce coepit legere titulum lucubrationis, qui talis erat. *De Vita, & morte Latinae linguae, Diſſertatio tertia: in qua utrum priſci Chriſtiani Scriptores, & Eccleſiae Latinae Patres fuerint Latinae linguae corruptores, an de ea benemeriti?* Lecto titulo, & tabaci pulvere, ab omnibus, quibus placebat, hauſto naribus. Magnus mihi Apollo erit *Cenſorinus*, inquit *Polyhiſtor*, ſi, ut pollicitus eſt, priſcos Chriſtianos Scriptores vindicet a nota Latinitatis corruptorum, & praeterea nobis probet, fuiſſe de Latinitate benemeritos, contra communem Criticorum opinionem. Sed video, nihil eſſe tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat ornatu, & cultu orationis. Parce te interpellanti, Lector:

non

Digitized by Google

non iterum poſthac tibi moleſtus ero, niſi ſi forte aliquid non intelligam. Pergam igitur, inquit *Hiſpano Luſitanus*, & dabo operam, ut omnes percipiant, quae legam, modo attentas aures mihi praebeatis. Scriptum ſic ſe habet.

DISSESTATIONIS INITIUM.

§. IX. PErſuaſum vobis, ut arbitror, exploratumque eſt, Sodales optimi, ex his, quae a me ſuperioribus diebus dicta ſunt de Latina lingua in pomeridianis deambulationibus, potuiſſe jure ſuo priſcos Chriſtianos novis, & inuſitatis vocabulis augere Latinam linguam, non minus, quam Ethnici ejuſdem aetatis Scriptores. Verum, cum fere omnes Critici ſentiant, & aliis ſuadere conentur, priſcos Chriſtianos, inter quos cenſentur Eccleſiae Latinae Patres, & SS. Doctores, debuiſſe etiam, cum res ſacras, priſcis Romanis ignotas, tractarent, uſitata tantum Latina vocabula uſurpare, ea quaerendo, quae eſſent magis rebus illis accomodata: ac ſi idonea non reperirent, per ambages, & verborum circuitum eas exponere, quod Tiberius Caeſar dicitur olim Romano Senatui praecepiſſe, ne nova vocabula inducerentur. Cum item affirmare audeant, antiquos Chriſtianos Scriptores, nova addendo Latinae linguae vocabula, vel ex Graeco, vel ex Hebraico, vel ex Syriaco, vel ex Chaldaeo, vel ex alio fonte derivata, eam barbariſmis foedaſſe, ſoloeciſque corrupiſſe, atque adeo abſtinendum ab eorum lectione Latinae lingue ſtudioſo; operae pretium me facturum vobis viſum fuit, ſi ego criminatores iſtos priſcorum Chriſtianorum, & Eccleſiae Latinae Patrum, & Doctorum refellerem, idque oneris mihi impoſuiſtis, quod ego non invitus in me recepi, ut oſtenderem, immerito Scriptorum adeo de Chriſtiana Republica benemeritorum Latinitatem a Criticis carpi, (*) atque contemni; cum illi nova inducendo vocabula jure ſuo uſi fuerint: proindeque, neque Latini ſermonis imperitiae, neque barbariſmi, neque ſoloeci poſſe, niſi per ſummam injuriam, inſimulari.

§. X. Haec ego praeſtare, quibus poſſim rationibus, co-

nabor. Primum, ut vobis, id a me repoſcentibus, obſequar, poſtulatiſque ſatisfaciam. Tum ut obſtrictam vobis fidem meam liberem. Denique ne videar priſcis Chriſtianis Scriptoribus, Eccleſiae Patribus, & SS. Doctoribus deeſſe, quorum honor, inique a Criticis impetitus, a nobis poſtulat, ut eiſdem pro virili parte noſtra opitulemur, atque ab his, quibus inuruntur notis, atque criminationibus vindicemus.

§. XI. Hanc vero priſcorum Chriſtianorum Cauſſam multo libentius, & confidentius propugnandam ſuſcipio, poſtquam Jacobum Pontanum forte legens, ex eo intellexi, M. Antonium Muretum primi ſubſellii Criticum, & de optima, elegantique Latinitate, ſi quis alius, optime meritum, pro veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum Latinitate ſtare, & iis, quae ego, antequam ſcirem, quid Muretus ſuper hac re ſentiret, meditatus fueram, mirifice ſuffragari. Jam vero priſcorum Chriſtianorum Latinitatis reprehenſores non ibunt inficias, eorum non paucos, intra quatuor prima Eccleſiae ſaecula floruiſſe, & Opera ſua Latina lucubraſſe: quo tempore, nondum everſum erat Barbarorum incurſionibus Romanum Imperium, neque Latina lingua extincta erat: & quidem eorum nonnullos, etiam cum Latina lingua non modo extincta dici non poterat, ſed cum illa vigeret, atque floreret. Licet enim priſci Chriſtiani, ob excitatas contra Chriſtianae Religionis Profeſſores ſaevas perſecutiones latibula magis quaererent, quam ſcholas frequentarent: licet illi precibus magis, vigiliis, & jejuniis eſſent intenti, quam Humanarum ſtudiis Diſciplinarum: licet denique majori ex parte, qui Chriſto nomen dabant, initio eſſent vel ruſtici, vel ſervi, vel opifices ex infima plebe; nemo tamen in dubium vertet, nonnullos litteratos Apoſtolorum ſuaſionibus, vitae exemplo, & miraculis excitatos, Idolorum cultui nuntium remiſiſſe, & Chriſti legem amplexos fuiſſe: ut mittam inter plebaeos, & ſervos etiam litteratos inveniri potuiſſe; cum conſtet, Plautum, Terentium, Phaedrum, Auguſti li-

libertum, Tyronem Patris Tullii item libertum, & ſervos, & litteratos fuiſſe, Romanamque linguam illuſtraſſe. Ut mittam, etiam non paucos ex priſcis Chriſtianis, qui Humanis Diſciplinis exculti non erant, & ſcientiae, & linguarum peritiae, & interpretationis ſermonum, & prophetiae donis, Numinis afflatu, muneratos, ac ſine labore ullo, divini Spiritus magiſterio, doctiſſimos evaſiſſe.

§. XII. Quae cum ita ſint; quiſnam erit tam a ſenſu communi, & a ratione alienus, qui dicere audeat, priſcos Chriſtianos, qui primo, vel ſecundo, vel etiam tertio Eccleſiae ſaeculo ſcripſerunt, Latinae linguae ignaros fuiſſe? Cum vel propria induſtria Diſciplinas, & Artes ingenuas didiciſſent, vel eiſdem divinitus fuiſſent inſtructi. Quas ego dotes, & praerogativas tribuendas omnino cenſeo illis, qui veterem ſacrorum librorum Latinam Verſionem adornarunt, juſſu proculdubio Apoſtolorum: cum credibile non ſit, hanc curam ſtatim aliquibus Graece, Latine, & Hebraice doctis Apoſtolos non demandaſſe, ne Latini Chriſtiani, qui Graecos, & Hebraicos ſacrorum Bibliorum codices legere neſciebant, Divinorum eloquiorum luce, ſolatio, & coeleſti nutrimento, inter tempeſtates vexationum deſtituti eſſent, utque eorum doctrina, & lectione in fide ſuſcepta confirmarentur. Hanc ob rem D. Paullus ad Romanos ſcribens cap. I. verſ. 4. eiſdem dicit: *Quaecumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Et verſ. 14. *Certus ſum ::: quoniam, & ipſi pleni eſtis dilectione: repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere.* Legite etiam *Epiſtolam I.* Ejuſdem Paulli *ad Corinth.* cap. 1. 12. & 14., & illic videbitis primum: *Divites Corinthios in omnibus per Chriſtum factos in omni verbo, & in omni ſcientia.* Deinde diſtributionem donorum inter primos Chriſtianos a divino Spiritu factam: *Alii quidem*, inquit, *per Spiritum datur ſermo ſapientiae; alii autem ſermo ſcientiae ſecundum eundem Spiritum ::: alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

His

§. XIII. His ego crediderim, demandatam ab Apoſtolis fuiſſe curam vertendi in ſermonem Latinum Sacras Scripturas Veteris Teſtamenti, ne quid peccaretur in fideli Graeci, vel Hebraici ſenſus interpretatione, & ſermonis converſione. Niſi dicamus, hanc curam, ſtatim poſt diſperſionem, ſuſceptam ab illis, qui in Coenaculo cum B. Virgine, Dei Genitrice, & Apoſtolis congregati, divino Spiritu ſuper eos in ſpecie linguarum ignitarum deſcendente, gratiarum omnium donis repleti ſunt, omniumque linguarum ſcientia eruditi: adeo, ut Judaeis viris religioſis *ex omni natione, quae ſub Coelo eſt*, admirationi eſſent, *quoniam unuſquiſque lingua ſua audiebat eos loquentes*, ut cap. 2. *Actuum Apoſtolorum* habetur, & nemo in eis animadvertit nec barbariſmos, nec ſtribliginem in linguis propriis: quod indicio, & argumento eſt, eos recte loquutos fuiſſe. Et quis dubitare poterit, recte, & ſine errore illos loquutos, niſi qui dubitet, eos a Deo in linguarum, ſive ſermonis ſcientia doctos fuiſſe? (*Vide Matthaei Evang. cap. X. v. 19. & 20., & Evangel. Lucae cap XII. v. 11., & 12.*) Quis, inquam, dubitabit de recto eorum ſermone in linguis omnibus, niſi qui dubitet, etiam eos, qui dono interpretationis ſermonum munerati divinitus fuerunt, vel dono & gratia ſanitatum, & prophetiae, in interpretando, in prophetando, in ſanando aegrotantes, recte, & ſine errore donis illis uſos fuiſſe, & Dei opera perfecta eſſe.

§. XIV. Sed demus, non hos ab Apoſtolis delectos ad vertendas ſacras Scripturas in Latinum ſermonem; at illos proculdubio ſaltem huic operi deſtinarunt, qui propria induſtria in Graeco, Hebraico, & Latino ſermone eſſent periti, ut Chriſtiani Latini perfectam, & omnibus numeris abſolutam ſacrae Paginae Verſionem haberent.

§. XV. Quid? an S. Marcus, qui juſſu S. Petri Evangelium pro Romanis ſcripſit, quique idcirco Latine illud ſcripſiſſe probabilius creditur, Latini ſermonis erat ignarus? Sed mittamus ſacrarum litterarum Latinam Verſionem, & ſcripta, ſi quae ſunt alia Latina, ab Apoſtolis, vel Evan-

ge-

geliſtis exarata, & ad alia Latina veterum Chriſtianorum veniamus, quae vigente, & florente Latina lingua, in lucem prodierunt, vel ſaltem eo tempore, quo Latina lingua omnium conſenſu in vivis erat. Et hic ſtatim mihi ſeſe offerunt Opera S. Clementis Romani, qui poſt Linium, & Cletum, D. Petro in Romana cathedra ſucceſſit. Et quamvis non omnia, quae ſub nomine S. Clementis Opera leguntur, S. Clementis ſint; nonnulla tamen a Criticis, ut indubitata admittuntur, inter quae Epiſtola ad Corinthios una, & ſacra Liturgia, qua antiquitus Romana Eccleſia utebatur, quaeque decurſu temporis multis acceſſionibus aucta eſt. Occurrunt etiam Acta Martyrum, juſſu S. Clementis, vel non multo poſterioris Pontificis a ſeptem Notariis Romae ſcripta: ex quibus, vel certe ex aliis valde antiquis, ſumptae proculdubio ſunt lectiones antiquorum Martyrum, quae optima Latinitate exaratae in Breviario Romano leguntur. Occurrunt praeterea verba, quae Theologi, & Concilia Formam appellant Sacramentorum: item praecipua Chriſtianae Doctrinae capipita, quae Chriſtianis omnibus nota eſſe oportebat. Occurrunt Inſcriptiones Latinae antiquiſſimae, a Chriſtianis poſitae. Occurrunt denique litterae, quae a Graecis *Canonicae*, a Latinis *Formatae* dicebantur cum arcanis notis, Chriſtianis peregre proficiſcentibus, a propriis Epiſcopis dari ſolitae, quarum ſpecies varias exhibet Cabaſutius de Concilio Carthaginienſi V. differens, in ſua de *Litteris Formatis* Diſſertatione: quae quidem ſcripta majori ex parte ad primum Eccleſiae ſaeculum ſpectant.

§. XVI. Ad ſecundum, & tertium diſtributе pertinent, praeter Verſiones Latinas Patrum Graecorum (ſi aliquae reſtant) ſtatim factas ad inſtructionem Latinorum, *Liber Paſtoris* (*) Opera S. Juſtini Martyris, quae quamvis fortaſſe Graece primum ſcripta, veriſimile eſt illico in Latinum verſa, praeſertim Apologiae pro Chriſtianis, quae Romae ſcriptae, non niſi Latino ſermone fuerunt Romano Senatui, & Imperatori oblatae, ut gratiores (**) Romana

lin-

lingua Romanis eſſent, utque ab omnibus intelligerentur (***). Minutii etiam Felicis, Tertulliani, Arnobii, S. Cypriani lucubrationes, qui omnes, ut Juſtinus, Apologias pro Chriſtianis, & Chriſtiana Religione ſcripſerunt, ac Idololatriam Latino ſermone oppugnarunt. Ad IV. referuntur Scripta S. Hilarii Pictavienſis, S. Paciani Barcinonenſis Epiſcopi, S. Phoebadii, Juvenci, & Prudentii Chriſtianorum Poetarum: Lactantii item, Vegetii *de re militari*, quem, uti Claudianum (****), & Auſonium, Poetas hujus ſaeculi, inter Chriſtianos recenſeo, licet non deſint, qui eos vanae idolorum ſuperſtitioni addictos putent. Ad hoc ſaeculum referri debent inſignia Opera S. Ambroſii, S. Hieronymi, S. Auguſtini Eccleſiae Doctorum, ut etiam Innocentii I. Rom. Pont., & Ruffini, licet horum plerique ſaeculum V. attigerint: quod non attigit S. Damaſus Papa, qui, & ſoluta, & numeris adſtricta oratione Latina ſcripſit. His addo lucubrationes Sulpitii Severi, S. Paulini, Oroſii, Sedulii, Sidonii Apollinaris, licet nonnihil poſteriores. Adſcribi poſſunt, & debent ſaeculo III., & IV. Leges Imperatoriae, Reſcripta, & Epiſtolae ad Epiſcopos, & Provinciarum Romani Imperii Praeſides a Coſtantino jam Chriſtiano, uſque ad Honorium, quae quidem pura Latinitate a Chriſtianis Imperatoribus, & Praefectis Praetorio, vel ab eorum Juriſconſultis, & intimis Conſiliariis ſcripta fuerunt. Item plures Orationes Panegyricae, Imperatoribus dictae a Chriſtianis Rhetoribus, & eiſdem poſitae Inſcriptiones, ut Acta Conciliorum in Occidente celebratorum. In his Operibus Chriſtianorum multa reperiuntur vocabula nova, & priſcis Romanis inuſitata; ſed non idcirco eorum Auctores Latinitatis corruptores dicendi ſunt, ſed potius illuſtratores, & Latinae linguae copiae inventores. Sunt enim in illis indicata, & expoſita plura, quae in mentem Romanorum Ethnicorum nunquam venerant, & quibus nomina ab illis imponi non potuerunt. Poſt Chriſti enim adventum, & Evangelii per Romani Imperii Provincias promulgationem, nova lux men-

mentibus Romanorum affulſit, qua novam rerum faciem, novum Superiorum Entium ordinem, ac multa Myſteria ipſis olim ignota, quaeque exponi uſitatis Latinis vocibus nequibant, videre quaſi *per ſpeculum, & in aenigmate* potuerunt. Haec enuncianda erant, & verbo, & de ſcripto Romanis, ut relicto Idolorum cultu Chriſti Religionem amplecterentur, ſi aeternam, ac veram felicitatem conſequi vellent. Latinae voces a priſcis Latinis inventae, & uſurpatae, nimis obſcurae, & parum idoneae erant, nimium etiam abjectae, & ſordidae, ut res, & Myſteria adeo ſublimia, nobilia, & recondita attingerent, & illuſtrarent. Novae voces Latinae erant inveniendae, vel antiquarum ſignificatio amplianda: novae inſuper Latinae phraſes adhibendae, quae, ſin minus tam ſublimia ſignificata aequarent, ideam ſaltem aliquam eorum humanis mentibus offerrent. Id praeſtitere, tum ſacrae Paginae Latini Interpretes, tum etiam alii Chriſtiani Scriptores, & Eccleſiae praeſertim Patres, qui vivente Latina lingua, ſeu intra prima quatuor Eccleſiae ſaecula floruerunt. Et hos audebit quiſpiam corruptores Latinae linguae appellare? Et his non potius Latina lingua multas habebit gratias, quod illam nova luce ſplendidiorem, novis vocabulis lucupletiorem, ſublimiorique, & Angelica lingua digno ſermone auctam veluti Divinam reddiderunt? Non poteſt Latina lingua non plurimum ſibi gratulari, quod veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum opera facta ſit Magiſtra Veritatis, & verae Religionis, quae olim apud Romanos erat miniſtra erroris, & vanae ſuperſtitionis. (*)

§. XVII. Et vero, ſi Ethnici Scriptores, qui per ea tempora floruerunt, novis potuerunt vocabulis Latinam linguam viventem augere (*), quin Latinae linguae corruptores audirent; cur Chriſtiani Doctores, qui de rebus ſublimioribus, & antea ignotis ſcribebant, non potuere ſine flagitio nova vocabula invenire, quibus res, & ſenſa ſua Chriſtiano pupulo, & Ethnicis etiam declararent? Numne ſolis Ethnicis conceſſum fuit privilegium augendi novis vo-

vocabulis, noviſque phraſibus Latinam linguam, quod amitteretur ſtatimatque Chriſtianae militiae nomen darent? Numne *Ethnici* illius aetatis erant magis in Latina lingua verſati, quam ejuſdem aetatis Chriſtiani Doctores? Numne melius Latine loquebantur illis, qui omni ſcientia repleti erant, & quibus linguarum donum, & interpretationis ſermonum divinitus erat attributum? Numne demum Ethnicorum ullus in Romano Imperio quatuor primis Eccleſiae ſaeculis doctior fuit aut Ambroſio, aut Hieronymo, aut Auguſtino? ut mittam Lactantium Firmianum, quo eloquentiorem, & Ciceroni ſtylo proximiorem, vix ullum, aut ſane perpaucos Ethnicos prima quatuor Eccleſiae ſaecula protulerunt. Agnoſcebant iſti Latinae linguae paupertatem, & egeſtatem, quam agnovit L. Annaeus Seneca libros Platonis legens. *Quanta verborum*, inquit Stoicus Epiſt. 1. lib. 8., *nobis paupertas, immo egeſtas ſit, nunquam magis, quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina deſiderarent, nec haberent: quaedam vero cum habuiſſent faſtidio noſtro perdidiſſent. Quis autem ferat in egeſtate faſtidium?* Quid dixiſſet Seneca ſi ſacra Chriſtianorum volumina legiſſet, & intellexiſſet? multo majorem, quam putabat, vidiſſet verborum Latinorum paupertate Romanos laboraſſe.

§. XVIII. Fateri igitur debent, velint, nolint Critici, aut non potuiſſe Ethnicos Scriptores, qui Criticis ſunt in pretio, quoſque frequentiſſime in manibus habent, Senecam dico, Lucanum, utrumque Plinium, Martialem, Suetonium, Valerium Max., Perſium, Juvenalem, Statium, Silium Italicum, & alios Latinam linguam augere novis vocabulis, vel potuiſſe etiam Chriſtianos, qui eodem, quo illi aevo ſuas lucubrationes ediderunt. Quid? quod Chriſtiani Scriptores neceſſitate magis, quam voluntate nova Latinae linguae addebant vocabula; cum de rebus, quibus Latini antiqui nomen imponere nequiverunt, ſcriptis ſuis agerent, quae recentibus indiciis, ut verbis Horatii utar, monſtrandae erant. Ethnici vero ejuſdem aetatis ſaepe novis,

vis, & inuſitatis utebantur vocabulis, cum tractabant, & ſcribebant de rebus, quibus Latinum vocabulum erat impoſitum a Romanis antiquioribus. Adeo ut, ſi res bene, & ſine praejudiciis expendatur, & ſub aequo Judice lis decidatur, dicendi ſint potius corruptores Latinae linguae Ethnici Romani, quam ejuſdem aetatis Chriſtiani Scriptores. Illi etenim pro libito, nulla compulſi neceſſitate, nova, vel antiquata, & vix uſitata vocabula in Latium inducebant; Chriſtiani vero, urgente neceſſitate, ad abdita rerum antiquis Romanis prorſus ignotarum indicanda, nova vocabula adhibebant; quibus uſi forſitan non fuiſſent, ſi propria Latina, & idonea, ſuo tempore uſitata in promptu habuiſſent.

§. XIX. Quod, ſi ita eſt, non intelligo, qua fronte audeant hodierni Critici Sanctorum Latinae Eccleſiae Doctorum, & aliorum Chriſtianorum, qui, vivente Latina lingua, floruerunt, Scripta, tamquam barbariſmis, & ſoloeciſmis ſcatentia, cenſoria ſua virgula notare, & coaevorum Ethnicorum Opera ad Coelum uſque laudibus efferre. Qua item prudentia hortentur Latinae linguae ſtudioſos, quibus non ſemel neceſſe erit de ſacris argumentis diſſerere, ut abſtineant a legendis ſacris libris, in Latinum converſis, & Eccleſiae Patrum operibus, ac nequidem ad res ſacras Latine tractandas, & Chriſtianae Religionis Myſteria eleganti Latino ſermone exponenda, utantur novis vocabulis, quibus uſi ſunt antiqui Chriſtiani Scriptores. Nempe ea ſunt aequitate in judicandis antiquorum lucubrationibus Critici noſtri, ut Ethnicorum, qui minus digni ſunt venia, ſcriptis parcant, quamvis in eis multa nova, non neceſſaria vocabula, novaeque conſtructiones inveniantur; Chriſtianorum lucubrationibus non parcant, cum majore iſti, ſi in inducendis novis vocabulis peccarint, digni ſint venia, quia conſtricti neceſſitate nova vocabula fabricarunt.

§. XX. Prudentiore, & longe aequiore judicio hac in re uſus eſt M. Antonius Muretus, vir doctiſſimus, & in Latina eloquentia nulli recentiorum ſecundus, qui affirma-

mare non dubitavit: ſe ex Scriptis antiquorum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum, non modo quatuor primorum ſaeculorum, ſed aliorum etiam, qui vivente, ſaltem inter viros doctos, Latina lingua, poſterioribus ſaeculis ſcripſerunt: affirmare, inquam, non dubitavit, ſe, inter multa, quae ab Auctoribus illis inducuntur nova Latina vocabula, multa reperturum, quibus ſuo loco poſitis, Oratio uberior fiat & ornatior. Nec eorum, ait, imitandam ſtultitiam, qui eo uſque antiquitatis ſtudioſi videri volunt, ut voces quoque Chriſtianae religionis proprias refugiant, & in earum locum alias ſubſtituant, quarum nonnullae etiam impietatem redolent. Qui non *fidem*, ſed *perſuaſionem*: non *Sacramentum Corporis Domini*, ſed *ſanctificum Cruſtulum*: non *excommunicare*, ſed *diris devovere*: non *Angelos*, ſed *Genios*: non *baptizare*, ſed *abluere*, dicunt. Haec Muretus in libro 15. *Variarum Lectionum* cap. I.

§. XXI. Et hi quidem delicati Critici, palati ſui deliciis inſervientes, repudiabunt proculdubio, & rejicient ab Scriptis, & Latinis Orationibus ſuis, tamquam barbaras, voces *Eccleſia*, & *Eccleſiaſticus*, *Apoſtolus*, & *Apoſtolicus*, *Evangelium*, *Evangelizo*, & *Evangeliſta*, *Verbi divini Incarnatio*, *Deitas*, *Sancta Trinitas*, & *Unio Hypoſtatica*. Multo magis verba iſta *Vivifico*, *Mortifico*, *Sanctifico*, quorum ſignificata per vocum Latinarum uſitatarum circuitum poſſunt explicari. Repudiabunt item voces *Synagoga*, *Baptiſmus*, *Baptiſta*; etiam voces: *Miſſa*, *Chriſma*, *Caemeterium*, *Coenobium*, *Coenobitae*, *Ethnicus*, *Propheto*, *as*, *Fidelis*, *Infidelis*, *Paganus*, *Ethnicus*, ac nomina demum varia, quibus indicantur diverſi, tum Eccleſiaſticae, tum Coeleſtis Hierarchiae Ordines, quia in Latinis Ethnicorum libris non inveniuntur. Sed quid mirum haec rejiciant, cum in Lexico, a Paullo Manutio Aldi filio typis edito, in voce *Salvo* haec legantur, quae Mureto proculdubio ſtomachum moviſſent: *Salvo*, *as*::: *Hinc* Salvator, ris. (*Salvatore*) *vox in ſacris litteris nuſquam non occurrens: quam tamen eruditiores, tamquam parum probam, religio-*

gioſe fugiunt; quemadmodum & verbum Salvo, *quod nec ipſum ſatis Latinum judicant, putantque, locum Ciceronis, quem jam citavimus, menda non vacare: praeſertim cum id verbum non temere apud quempiam veterum, apud Ciceronem certe alibi, nuſquam liceat invenire*. Locus autem Ciceronis, quem citaverat Calepini editor in *Oratione in Piſonem* legitur, qui ſic habet: *Me poſſe iterum rempublicam ſalvare, ſi ceſſiſſem: infinitam caedem fore ſi reſtitiſſem*.

§. XXII. Videtis, Sodales, noſtrorum Criticorum pietatem? Religioni ducunt uti vocibus *ſalvo*, *& ſalvator*, quae paſſim in ſacris litteris, & Chriſtianis antiquis ſcriptoribus leguntur, quamvis valde probabile ſit, Ciceronem voce *ſalvo* uſum fuiſſe, & Religioni non ducunt, jurare per Herculem, vel Diumfidium, per Pollucis aedem, & ſacra Ethnicorum. Nec defuit, qui pro *peccata morituro remittere*, diceret: *Deos ſuperos, Maneſque placare*: *& aqua, & igni interdicere* pro *excommunicare* (*). Quis hanc Latinitatem, ſuperſtitionem, vel impietatem potius, horum Criticorum non appellet? Sed melius vocabimus cum Mureto ſtultitiam, qua non vident, novis hiſce vocabulis, ab antiquis Chriſtianis, & Patribus Eccleſiae inventis, non modo non corrumpi Latinam linguam, ſed eam & copioſiorem reddi, & illuſtriorem, & doctiorem; cum per ea, (quod Ethnici ejuſdem aetatis non praeſtitere, nova vocabula Latina linguae addendo) plura Romanis olim ignota, ſint indicata, & revelata, quibus illi longe doctiores, & eruditiores, quam olim fuerant, effici potuerunt: dum abdita rerum ſupernarum, atque divinarum novorum verborum indiciis ſunt illis manifeſtata: nec facile fuiſſet in Latinis aureae, & argenteae aetatis ſcriptoribus voces aeque idoneas, & ſignificantes ad ea manifeſtanda invenire.

§. XXIII. Jam vero quodnam, quaeſo, Critices genus tam perverſum, atque a ratione alienum iſtud eſt, ut *Ethnicis* Latinis ſcriptoribus concedatur, nova cudere vocabula, ad novas res profanas, & ad ſuperſtitioſas ſignificandas (*), ac ad novas res ſacras, atque humanum captum ſu-

ſuperantes explicandas Chriſtianis ſcriptoribus non concedatur? At, inquient Critici contra quos diſputamus: multa vocabula, a Chriſtianis ſcriptoribus, in Latium inducta, praeſertim, quae in ſacris libris reperiuntur, & in veterum Patrum Operibus, aſperum quid, horridum, & ſenticoſum praeſeferre, ea maxime, quae ex Hebraica lingua originem trahunt, & ſuavitatem Latini ſermonis non ſapere. Audio: nempe delicatorum iſtorum Criticorum palato ſuaviſſimae, & in deliciis ſunt voces novae, ab Ethnicis ſcriptoribus conditae, atque confectae, quamquam oleant, & ſapiant impietatem; confectae vero a priſcis Chriſtianis Scriptoribus, ab Eccleſiae Patribus, & Doctoribus, quibus indicant Chriſtianae Religionis Myſteria, inſipidae ſunt, putent, nauſeam creant, barbariſmum, & corruptelam ſapiunt. Quis poterit tantam horum Criticorum intemperantiam ferre? Quis horum criticas delicias non ridere, atque deſpicere? Suaviſſimis iſtis, & delicioſis Criticis melimela date, Sodales, calicemque, vel nectaris, vel vini ſaccharo conditi, ex muſto uvaruw, & malorum ſuaviorum confecti, eiſdem propinate. Et quoniam horrent per aſpera, & ſenticoſa ſacrorum Bibliorum, & Eccleſiae Patrum Scripta incedere; afferte mollibus iſtis, ac delicatis plumea ſubſtramina, & pulvinaria floribus plena, ne per teſqua illa, & vepreta incedentes, eorum pedes teneri lancinentur: optate demum illis, ut quidquid calcent, lilium, & roſa fiat.

§. XXIV. Interea quaerite ex illis, num horridum aliquid, aſperum, & ſenticoſum ſit in Valerio Maximo, in Lucano, in Majori Plinio, in Suetonio, in Statio, in Tacito, in Juvenale, in Perſio Ethnicis Scriptoribus, qui primis Eccleſiae ſaeculis floruerunt? Quaerite item, an omnia flores ſint, & nihil aſperum, & ſenticoſum inveniant in Ennio (*), quem ſaepe citat Tullius ejus Verſus afferens: in Naevio: in Catone Majore, & Siſenna: in Quadrigario, & Lucilio (**), in Actio Licinio, & Plauto: in Lucretio, & Terentio? Ut nihil dicam de Varronis Scriptis, de quibus fuſius poſtea agemus. Fortaſſis ignorant iſti Critici,

ci, fuiſſe olim, qui Virgilii carmina, & horrida, & ruſticana dicerent, eiſque teneros Catulli, & Ovidii verſus praeferrent.

§. XXV. At, inquient alii, ſacrae Paginae, ſi Evangelia excipias, & Hiſtoricos libros alios Novi, & Veteris Teſtamenti (idem dicunt de multis Patrum, & Eccleſiae Doctorum ſcriptis) valde obſcurae ſunt, & vix a Doctoribus poſſunt intelligi, ac variis interpretationibus dant locum. Utque nihil dicant de multis Paulli Epiſtolis, & Prophetarum vaticiniis, liber Apocalypſeos S. Joannis adeo obſcurus eſt, & Interpretatu difficilis, ut vir magni ingenii, & doctrinae Cardin. Cajetanus, poſt Interpretationem Canonicarum Epiſtolarum, & Actuum Apoſtolorum, auſus non fuerit Apocalypſim explanare: Carolo V. Imperatori, & Hiſpaniarum Regi affirmans ingenue, ſe in illius ſenſum litteralem non penetraſſe. Veriſſima ſunt haec: ſed quid mirum, ſacros illos libros obſcuros eſſe, qui de rebus altiſſimis, & ſupra humanum captum myſteriis agunt, quae credere nos debemus, non ſcrutari? Quid mirum, Apocalypſeos (*) librum, qui tot myſteria continet, quod verba, quive de rebus, quae in poſtremis Eccleſiae, & Mundi temporibus eventurae ſunt, agit, obſcurum eſſe, & intellectu difficilem, ita ut liber ſeptem ſigillis clauſus dici poſſit? An non ſunt obſcuri, & interpretatione indigent multa Ethnicorum Latina ſcripta, quae de rebus humanis, & captui noſtro ſubjectis agunt? Cur tot Interpretes veterum Latinorum Poetarum? Cur tot dubia circa eorum intelligentiam? niſi quia obſcuri ſunt? & tamen hi laudantur, & leguntur; illi deſpiciuntur. Quid? an non libri Sibyllini, quos tanti faciebant Romani, erant obſcuriſſimi, & interpretatu difficiles? Obſcuritas ſaepe, non a verbis, ſed a rebus, quae verbis ſubſunt, oritur. Deus, qui ſacris Scriptoribus verba dictabat, vel ſaltem eorum ſtylum regebat, voluit, myſteria illa nobis occulta eſſe, ut fidei meritum majus haberemus, non intellecta credendo: ut nos excitaret ad humiliter petendam eorum intelli-

ligentiam, & ne nimium nobis tribueremus, ſi ſtatim tam alta, & profunda myſteria intelligeremus. Deus abſcondit plura ſapientibus, & prudentibus, quae revelat parvulis, & de ſe demiſſe ſentientibus. (**)

§. XXVI. Addere poſſem, hanc obſcuritatem velum eſſe quoddam, quod profanis obtenditur, & ſaepe obſcuritatem, majeſtatem, & dignitatem ſcriptis conciliare, legentiumque attentionem excitare. In Thucididis ſcriptis & obſcuritas, & aſperitas a Graecis Criticis notatur, & utraque inter virtutes ejus, non inter vitia, cenſetur. Sed veniamus ad alia, quae in ſcriptis veterum Chriſtianorum, ac Eccleſiae PP. & DD. Critici reprehendunt, quod ad eorum attinet Latinitatem.

§. XXVII. Verum antequam ad legenda, quae ſequuntur, veniamus, dixit *Hiſpano Luſitanus*, ſinite, me Braſili pulverem ſumere, & non nihil reſpirare: nam incipio jam fatigari, & vocis contentione, & lectionis celeritate. (*Intermittitur lectio Diſſertationis brevi colloquio*). Si fatigatus es, inquit *Technophilus*, ego, qui conſpiciliis non indigeo, & voce rauca non ſum, legam, quae legenda ſuperſunt: nam video, Diſſertationem longam eſſe, & non multum diei reſtare. Ut libet, inquit *Hiſpano-Luſitanus*. Si tibi grave non ſit, aſcende ad paullo prominentiorem hunc locum, ut ab omnibus audiaris, & codicem accipe. En tibi initium §. nunc legendi. Teneo, inquit *Technophilus*, & inde incipiam. Jam lego.

DISSERTATIONIS PARS ALTERA.

§. XXVIII. Fatemur, inquiunt alii minus intemperantes, & delicati Critici, jure ſuo uſos veteres Chriſtianos Scriptores, qui res ad Chriſtiana ſacra ſpectantes, quae ſcilicet prorſus ignotae fuerant priſcis Romanis Scriptoribus, explanare, vel indicare volentes, novas voces, & inuſitata vocabula, vel ex Graeco, vel ex Hebraico, Syriaco, Chaldaeo, vel alio fonte ducta uſurparunt. Fatemur etiam, voces illas, quae Eccleſiaſticae vocantur, & a nobis adductae ſunt, idoneas eſſe, in La-

tium

tium jam uſu receptas: ac quadam veluti praeſcriptione, Latina Civitate gaudere. Poſſe denique a diligenti Latino Scriptore, ſive Hiſtorico, ſive Oratore, ſive Poeta, cum occaſio tulerit, eleganter eas adhiberi, non minus quam Grammaticorum propria vocabula, quamvis parum Latina ſint, ut *Nominativus*, *Genitivus*, *Ablativus*, *Plurativus numerus*, *Supinum*, *Gerundium*, *Subſtantivum*, & plura alia, quae Grammatici confinxerunt. At negari non poteſt, multis etiam illos uſos vocibus novis, atque inuſitatis, ad res ſignificandas, antiquis Latinis notiſſimas, & quibus propria, & genuina vocabula indita erant. Haec, ſi Chriſtiani Scriptores priorum quatuor Eccleſiae ſaeculorum, & poſteriorum adhibuiſſent loco novarum vocum ab illis inventarum, & de novo cuſarum: ſi uſitatis Latinis conſtructionibus, qui ſacros Libros in Latinum ſermonem verterunt, & antiqui alii Chriſtiani in libris ſuis Latinis uſi fuiſſent, novaſque, atque inuſitatas, contra Grammaticae Latinae canones, orationis ſtructuras non induxiſſent: ſi verba Deponentia Communia: ſi Neutra Activa non feciſſent: ſi genera nominibus, & caſuum regimina propria unicuique verbo tribuiſſent: ſi multorum nominum, & adverbiorum antiquam terminationem, ab accuratis Latinis Scriptoribus uſitatam, non variaſſent: ſi nova Praeterita, & Supina non confinxiſſent; nemo ullus litem ſuper eorum Latinitate moviſſet: nemo eis dicam ſcripſiſſet, nec corruptae Latinitatis accuſaſſet: nemo denique ab eorum lectione retraxiſſet Latinitatis ſtudioſos. At, quantum in hac re peccatum ſit ab antiquis Chriſtianis Scriptoribus, tum in vertendis ſacris codicibus in Latinum ſermonem: tum in aliis operibus, quae, vivente adhuc, & vigente Latina lingua, ſcripta ſunt, etiam ab Eccleſiae Patribus, & SS. Doctoribus, nemo non videt, niſi qui Latini ſermonis eſt imperitus, vel ea non legit, vel ad novitates ab illis inductas animum non advertit.

§. XXIX. Quid enim opus erat, ut ab Evangeliis Latine ſcriptis initium fiat (licet haec ſint multo purioris

Latinitatis, quam Davidicum Pſalterium, & ſacri libri alii in Latinum converſi. Quid, inquiunt, opus erat, ut pauca pro multis, exempli gratia, adducantur, *Praeſepium* bis poni in 2. Lucae capite, loco *praeſepe*, quod magis Latinum eſt, ac magis uſitatum ab optimis Latinis Scriptoribus: nempe v. 7. *& reclinavit eam in praeſepio*: v. 16. *poſitum in praeſepio*. Aſſignetur Latinus Scriptor bonae aetatis, anterior Interprete Latino Evangeliorum (nam Apulejus, qui eo uſus eſt, & malus Latinitatis auctor eſt, & poſterior.), qui voce *praeſepium* uſus ſit; & tunc non dicemus, Latinum Interpretem Latinum ſermonem corrupiſſe. Cur item in 2. Matthaei cap. *exiet* loco *exibit* a verbo *exeo?* Cur *obumbrabit tibi*, & non *te?* Cur de Simeone dicitur, fuiſſe *hominem timoratum*, & non *timentem Deum*, vel *timidum?* De voce *Salvator* a verbo *ſalvo* nolunt movere litem, quia probabile eſt, Ciceronem ſemel ſaltem verbo *ſalvo* uſum fuiſſe. Et haec quidem ex ſolis primis Matthaei, & Lucae capitibus; cum plura alia corruptae Latinitatis poſſent proferri ex Evangeliis, quorum verſio in Latinum eſt magis tolerabilis, quam Verſio aliorum Sacrae Scripturae librorum.

§. XXX. Quod ſi ex Chriſtianis Latinis ſcriptoribus, qui primo Eccleſiae ſeculo floruerunt, cum non viveret modo, ſed vigeret Latina lingua, tot corruptae Latinitatis exempla reperiuntur; quot ex poſteriorum ſeculorum ſcriptoribus poterunt in medium afferri? Fatendum igitur, Chriſtianos ſcriptores, quamvis idoneis, & opportunis novis vocabulis, ad Chriſtianae Religionis myſteria, ritus, oeconomiam, & alia, antiquis Latinis ignota, ſignificanda uſi fuerint, eiſdemque Latinam linguam auxerint, & copioſiorem reddiderint; in aliis tamen non neceſſariis, quae confinxerunt vocabulis, eam corrupiſſe. Et quamvis ob nova plura neceſſaria inventa, vel ex Graeco, vel ex Hebraeo, vel ex alio idiomate inducta, copiae Latini ſermonis Auctores dici poſſint; ob alia tamen non neceſſaria, & ob varias novas inductas conſtructiones,

La-

Latinae linguae, quam illibatam, & puram invenerunt, ſalva eiſdem debita reverentia, corruptores fuiſſe, atque ab eorum lectione abſtinendum accurato Latino ſcriptori. Quin etiam abſtinendum a lectione Verſionis Latinae ſacrorum Bibliorum, ne ſoloecis, & barbariſmis contaminetur Latinus ſtylus, quamvis nemo neget, niſi forte impius Philoſophaſter aliquis Epicuri de grege, ſacrarum Scripturarum intelligentiam utilem eſſe, imo utiliſſimam, & neceſſariam ad morum diſciplinam, (*) & ad doctrinam ſalutis. Verum viri litterati, & Graeci, vel Hebraici ſermonis periti, ne fructu ſacrorum Bibliorum Lectionis fraudentur, poſſunt illa legere Graece, vel Hebraice. Quod feciſſe dicitur *Latiniſſimus* Scriptor cultioris aetatis, quem nominare non eſt opus: in quo nihil reprehendunt Critici, niſi quod nimis eſſet in Latini ſermonis elegantia accuratus. Is enim, ne quid detrimenti caperet ejus Latinus ſtylus, ab omnibus miris laudibus celebratus, ex quotidiana Romani Breviarii, ad quam obſtrictus erat, lectione, & precum recitatione; a Summo Pontifice, cui valde charus erat, impetravit, ut divinum Officium, & preces omnes Graece recitaret.

§. XXXI. Haec fere ſunt omnia, quae contra veterum Chriſtianorum, Eccleſiae Patrum, & Doctorum Latinitatem a temperatioribus Criticis afferuntur, quae, quam facile refutentur, & quam nullius, vel parvi certe ſint momenti ad probandum, eos Latinae linguae fuiſſe corruptores, ſtatim videbitis, ſi patientes mihi aures, ut adhuc feciſtis, commodare velitis.

§. XXXII. Incipiamus a voce *Praeſepium*, quae prima eſt, quam Critici nonnulli in Latino Interprete Lucae Evangelii reprehendunt. Haec nempe vox, ſin barbara; uſitata certe non erat, cum Evangelium Lucae in Latinum vertebatur. Omnes enim, quos habemus illius aetatis Romani Scriptores non *praeſepium*, ſed *praeſepe* dicebant, & ſcribebant, cum vel diverſorium, in quo poſt paſtum animalia congregabantur, ſignificare volebant, quod *ſtabulum*

etiam vocabatur, vel cum loquebantur de loco, in quo cibus ponebatur, eorum nutrimento deſtinatus, praeſertim equis, mulis, aſinis, camelis, bobus, & in hac poſtrema ſignificatione videtur *praeſepium* poſuiſſe Interpretem Latinum: cum conſtanter in Graeco textu v. 7. & v. 12. cap. 2. ſit ἐν τῆ φάτνῃ, non ἐν τῆ ἐπαυλιδι. Sed rogatos vellem hos Criticos: ſi Latinus Interpres uſus fuiſſet voce *praeſepia* foeminei generis in ſingulari, dixiſſetque: *& reclinavit eum in praeſepia* : : : *poſitum in praeſepia*, quid vobis videretur? Hui! inquiet eorum quiſpiam: error pejor priore in Latino ſermone fuiſſet: tunc ſane corruptor videri poſſet Interpres Latini ſermonis. Ita ne vero? At ſcitote, Varronem, magnum illum Varronem, Romanorum doctiſſimum, qui in aurea Latinae linguae aetate florebat, Ciceronis aequalem, & amicum, *praeſepia* in ſingulari numero uſurpaſſe lib. *9. de re ruſtica*, ubi dicit: *Is habebat culinam ruſticam*, *praeſepiam latam*, *cellam vinariam*, quin a Criticis noſtris propterea tamquam barbarus, & corruptor Latinitatis reus agatur, & traducatur.

§. XXXIII. Nunc ſecundum a verbo *Eo* petitum telum retundamus. Verbum *Eo*, inquiunt, futurum Indicativi modi non *eam*, ſed *ibo* facit; proindeque compoſita a verbo *Eo*, ut *exeo*, *ineo*, non *exeam*, *ineam*, ſed *exibo*, *inibo* in futuro habent. Valde igitur imperitum Latini ſermonis eſſe oportet, qui velit, Latinum Evangeliorum Interpretem a ſoloeciſmo liberare. Imo valde imperitus, & parum in M. Tullii lectione verſatus dicendus eſt, qui neſciat, Latinum Interpretem hac in re defendere; cum is ſoloeciſmi reus agi non poſſit, quin ejuſdem vitii Tullius accuſetur. Legerat proculdubio Latinus Interpres Ciceronem: & quis audebit ſoloeciſmi, ſeu ſtribliginis eum accuſare, qui Ciceronem fuerit imitatus? Atqui Cicero in Oratione *contra Rullum* eadem, vel omnino ſimili conſtructione uſus eſt, cum dixit, non *inibitur ratio*, ſed *inietur ratio*, Verbo *ineo* compoſito ab *eo*, ſicut *exeo*, tribuens futurum Indicativi non *inibo*, ſed *ineam*, quin ſoloeciſmi

ac-

accuſetur. Cur igitur Latinus Interpres cum ponit *exiet* pro *exibit*, ſoloeciſmum admiſiſſe eſt dicendus ſcribens: *Exiet dux, qui regat populum meum Iſrael?* (Matth. 2.

§. XXXIV. Pergamus: *obumbrabit tibi*, & non *te* ſcripſit vetus Latinus Interpres, Luc. cap. I., in quo etiam Critici in ſoloeciſmum impegiſſe contendunt. At unde norunt Critici iſti, verbum *obumbro* Dativum regere non poſſe? *Obumbro* ſignificat umbram facere: an non recte diceretur: *umbram tibi faciet?* Cur igitur non *obumbrabit tibi?* Quid? unde norunt Critici, nullum Latinum Scriptorem ex his, qui ante Latinum Chriſtianum Interpretem ſcripſerunt, *obumbro tibi* dixiſſe, vel cum Dativo alio verbum *obumbro* conſtruxiſſe, licet in Latinorum ſcriptis, quae nunc exſtant hujus conſtructionis exemplum non reperiatur? In tanta Latinorum aetatis aureae, & argenteae Scriptorum deperditione, & jactura, quiſnam pro certo affirmarit, tale regimen Dativi caſus in uſu non fuiſſe, cum Latinus Interpres Evangelium in Latinum vertebat? Quae ratio valere debet pro aliis multis ſive vocibus, ſive conſtructionibus, quae novae, atque inuſitatae apud antiquos, & probatos Latinos Scriptores videri poſſunt, quaeque in ſacris Libris in Latinum converſis inveniuntur. (*)

§. XXXV. Quis ſcit, an olim in uſu fuerit *timoratus*, pro *timidus* aut *meticuloſus?* quod eſt ultimum exemplum contra Latinitatem Latini Interpretis adductum. Si periiſſent Ciceronis libri de *Officiis*, uti perierunt de *Repub.* praeter *Scipionis ſomnium*, utque plures alii Ciceronis perierunt, & ſacer Interpres Latinus uſus eſſet voce *turpificatus*, illico Critici eum barbariſmi accuſaſſent, cum difficulter eam vocem alibi reperire potuiſſent uſitatam ab aliquo probatae Latinitatis antiquo Ethnico ſcriptore, & tamen vox Tulliana erat. Quid? dicant mihi moroſi iſti Critici: in quonam ex probatis Romanis Scriptoribus reperiatur *amorabundus* pro *amans*, vel *amator*? Non certe in Cicerone, quamvis in eo *noctuabundus*, pro *noctu vagans* inveniatur. Non in C. Caeſare, in Terentio, in Vir-

gilio, in Horatio, in Livio, in Nepote, in Salluſtio, in Ovidio, qui de Arte amandi, & remedio amoris ſcripſit. An non videbitur vobis, & Criticis noſtris, vocem hanc non Latinam, ſed barbaram, ne dicam barbariſſimam, eſſe? & tamen ea uſus eſt Laberius Mimus, C. J. Caeſari maxime charus, & aureae aetatis Scriptor, dum in *Lacu Averno* amantem mulierem *amorabundam* vocat. An non vox iſta aeque inuſitata, & nova vobis videtur, ac vox *timoratus*. Cur igitut haec vox barbariſmi nota in ſacro Latino Interprete inuritur: in Laberio autem illa non notatur? *Timoratus* in nullo emandatae Latinitatis Latino ſcripto illius aetatis, extra Latinam Evangeliorum Verſionem, invenitur: at neque vocem *amorabundus*, extra Liberii *Lacum Avernum*, etiam ſi multum quaeratis, invenietis. Per primam indicatur homo, qui timet, ſeu in quo timor eſt: per ſecundam indicatur mulier, quae amat, vel in qua amor eſt. Utra elegantior, utra ſignificantior, utra uſitatior? Prima a voce *timor* originem trahit: ſecunda a voce *amor* derivatur. Si ſecunda barbariſmi expers; cur prima barbariſmi inſimulatur? Iniquus valde judex erit, quem Graeci κριτὴν nos *Criticum* vocamus, qui in pari cauſſa unum velit abſolvere, alium damnare. Sed juvat hic amplius immorari, ut Criticos noſtros ad aequiorem deinceps de priſcis Chriſtianis ſcriptoribus ferendam ſententiam conſtringamus: ut item illis oſtendamus, parum conſiderate, & nimis propere de Latinitate Latinae Verſionis ſacrarum Scripturarum, & Latinorum Operum Eccleſiae Patrum, & SS. Doctorum antiquorum judicaſſe.

§. XXXVI. Jam vero rogandi ſunt iſti Critici, qui lincei ſunt in Verſionis Latinae ſacrarum Scripturarum, & Operum SS. Patrum Latinitate examinanda, ut in pervidendis, quae in illis ſunt novis, & inuſitatis vocabulis, & orationis ſtructuris; num in Seneca, in utroque Plinio, in Corn. Tacito, & ejuſdem aetatis Ethnicis Latinis ſcriptoribus, non multum ab aurea aetate diſtantibus,

bus, inveniantur plura vocabula, quae in antiquioribus magis probatis non leguntur? Nemo diffitebitur, plura eſſe, niſi qui in illorum ſcriptorum operibus verſatus non ſit, & Latini accuratioris ſermonis ſit prorſus ignarus. Sunt, ſunt in illis multa nova, & inuſitata vocabula; ſunt etiam nonnullae inuſitatae conſtructiones; & tamen eiſdem neque barbariſmi, aut admiſſi ſoloeciſmi dicam ſcribimus, neque ut corruptores eos Latini ſermonis repudiamus. Et nos audebimus Chriſtianos ſcriptores, vel ejuſdem, vel anterioris aetatis, vel non multo poſterioris barbariſmi, vel ſoloeciſmi inſimulare, eorum lectionem reſpuere, quia uſi ſunt eadem, qua Ethnici libertate? Illos laudabimus, & oſculabimur; iſtos vero, & eorum Latinitatem, tamquam barbariſmis, & ſoloeciſmis ſcatentem contemnemus, ac ab eorum lectione alios retrahemus? Cum valde ſit veriſimile, praeſertim, quod ad Latinos ſacrae Paginae Interpretes attinet, vel perfectum linguarum donum, & interpretationis ſermonum divinitus habuiſſe, vel ſaltem, Latine, ac Hebraice doctos fuiſſe.

§. XXXVII. Sed ut videatis, quam in tuto eſſe arbitrer Chriſtianorum ſcriptorum Latinitatem, praeſertim ſacrorum Latinorum Interptetum; nolo rationem ullam haberi linguarum, & interpretationis ſermonum coeleſtis doni. Nolo item urgere, D. Hieronymum (de quo dubitari non poteſt, eum peritum Latini ſermonis fuiſſe, non minus, immo magis, quam Orientalium, ut ajunt, linguarum, valdeque verſatum in Ethnicorum Latinorum melioris notae libris, quod ejuſdem Opera ſatis oſtendunt) D. inquam Hieronymum verſionem Latinam antiquam Evangeliorum, qua utebatur Romana Eccleſia, juſſu S. Damaſi, emendaſſe; & licet eſſet magnus Criticus, verſionis illius Latinitatem non correxiſſe, ſed eam, qualem habemus, & cujuſmodi tunc erat reliquiſſe. Nolo, inquam, id urgere, ut probem, rectam Latinitatem in Evangeliis inveniſſe: alioquin vix continere ſe potuiſſet vir in Cicerone, in Plauto, in Terentio, in Salluſtio, in Virgilio, aliiſque Eth-

Ethnicis Latinis Scriptoribus, quorum exemplaria tempore S. Doctoris exſtabant, & ad nos non pervenerunt, verſatiſſimus, ac emunctae naris Criticus; quin Verſionem illam, quam ſub incude habebat, emendaſſet, & a barbariſmis, & ſoloeciſmis repurgaſſet.

§. XXXVIII. Idem dici poſſet de aliis ſacrae Paginae libris, quos ipſe, vel in Latinum convertit, vel certe recognovit, & cum exemplaribus Graecis, Syriacis, Hebraicis collatos emendavit. Nulla eorum, quae dixi ratio habeatur. Uſi illi fuerint, per me licet, naturali adquiſita peritia linguarum, in vertendis ſacris Libris. Nolo item mihi dari, vocabula, & conſtructiones, quae in illis notantur, tamquam parum Latinae, & a communi uſu ſuae aetatis recedentes, reperiri ab illis potuiſſe in Operibus Scriptorum Ethnicornm, quae tunc exſtabant, & nunc temporis non apparent.

§. XXXIX. Ego vero adverſariis largior, potuiſſe illos, cum nova vocabula, & inuſitatas orationis Latinae ſtructuras adhibebant, uſitatis vocabulis, & conſtructionibus uti. Largior, inquam, haec Criticis noſtris. At numquam illis dabo, quod illi colligere inde ſe poſſe putant, ſacros Interpretes, & priſcos Chriſtianos ſcriptores imperitos fuiſſe Latini ſermonis, vel conſulto, & data opera Latinitatem Scriptis ſuis corrumpere voluiſſe: niſi idem velint mihi largiri, quod attinet ad Ethnicos multos Scriptores, qui per ea tempora floruerunt, & ſcripſerunt; cum non pauci eorum, & nova, & inuſitata vocabula, ut etiam conſtructiones varias habeant, ab aliis non uſurpatas, quaeque videntur omnibus Grammaticorum regulis, atque Grammaticae artis canonibus adverſari. Innumera reperire eſt in pluribus ex Latinis Scriptoribus etiam aetatis aureae, quorum Catalogum (*) texere poſſem, ab eorum Explanatoribus partim adnotata. Verum in his Latinis Scriptoribus, vel argenteae, vel aureae aetatis, ſtatim, quo eos excuſent, inveniunt eorum Interpretes, & Expoſitores.

§. XL. Iſti nempe, ut *Ethnicos* ſuos charos auctores a bar-

barbariſmi, & ſoloeciſmi nota liberent, illico recurrunt ad Archaiſmos, ad affectatam Graecam conſtructionem, ad Sintaxeos figuratae licentiam, ad imperitiam (*) librariorum, vel tandem ad Euphoniam, auriumque judicium, quod, ut ajunt, omnibus Grammaticae praeceptionibus debet praeferri. Hanc de *Euphonia* rationem afferunt Critici, quos inter Probus Valerius, & A. Gellius, inſignes Grammatici, & Critici antiqui, ad excuſandum M. Tullium, cum in altera ex ejus orationibus, ſecundum antiquiſſima exemplaria a Tyrone Ciceronis liberto, & docto amanuenſi exarata, invenitur *Fretu* pro *Freto*: in alia *Peccatu* pro *Peccato*: in alia *Antiſtita* pro *Antiſtite*: in alia *Pernicis* pro *Pernicie*, quamvis nunc in vulgatis Ciceronis Orationibus fruſtra fortè quaererentur. Primum in *Actione quinta in Verrem*, ut etiam tertium, & ſecundum in *Actione ſecunda*. Quartum in *Oratione pro Sexto Roſcio*. Quae quidem Orationes, quo magis in editis exemplaribus, ad communes Grammaticae praeceptiones, contra fidem genuinorum ſunt revocatae, minus Ciceronianae antiquis viderentur. (*)

§. XLI. Pergamus: Virgilium excuſant etiam *Euphonia*, cum dicit *Tris* pro *Tres AEneid. lib.* X. cum dicit: *Urbis* pro *Urbes*. *Georg. lib.* I. cum dicit: *Haec finis Priami*. *AEneid.* 3. pro *Hic finis* (nam in bonis Latinis Scriptoribus *finis* foemininum vix invenitur): ut etiam *fuat* pro *ſit*: *olli* pro *illi*. *AEneid.* I. Eadem excuſatione defendunt Ennium, cum ait: *Rectos Cupreſſos*, pro *Rectas*: *Aere fulva*, pro *fulvo*: Catonem in Oratione contra Furium, cum dicit: *Die proximi*. Eundem fortaſſe Euphonia excuſabunt, cum ait: *Faciebantur* pro *Fiebant*: Plautum etiam, Lucretium, & (*) Salluſtium in multis aliis, quae parum Grammaticorum ſcitis conformia videri poſſunt. Quis enim Latinorum dixit, praeterquam Plautus in *Curcul.*: *caruit ne febris te heri, vel nudius tertius?* pro *caruiſti ne febri?* Haec, inquam, & ſimilia excuſant in Ethnicis Scriptoribus Latinis, praetexentes vel figuram, vel aurium judi-

di-

dicium: quo praetextu nihil adeo parum Latinum, atque inuſitatum: nihil adeo contra artis Grammaticae canones, quod non poſſit excuſari; cum nulli ſint pro aurium judicio canones praeſcripti. Nec deerunt aures, quibus bene ſonet *Butubata*, qua voce uſus eſt Naevius, ac veteres alii ad rem nullius valoris ſignificandam, ut nihil dicam de voce *Taratantara* pro ſono tubae, qua placuit Ennio ornare *Annales* ſuos.

§. XLII. Si haec, & alia multa condonant Critici Ethnicis Scriptoribus, eoſque ob rationes, cauſſaſque adlegatas, a barbariſmi, & ſoloeciſmi nota liberant, quamvis fateantur contra communes Grammaticae Latinae linguae praeceptiones, & uſum aliorum uſurpata; cur eadem Critices benignitate non utuntur, cum judicium ferunt de Latinitate veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum, ubi iſti recedere videntur a communibus Latinitatis regulis, & inuſitatis vocabulis, ac novis orationis ſtructuris utuntur? ubi item Deponentia Communia faciunt, aut Neutra Activa: ubi demum Communia, in paſſiva ſignificatione parum uſitata, paſſive uſurpant: praeſertim, cum certum ſit, etiam Ethnicos Latinos Scriptores melioris notae non ſemel hanc libertatem in verbis, *Rixor*, *Venor*, *Utor*, *Vereor*, *Hortor*, *Conſolor*, *Teſtor*, *Interpretor*, *Largior*, *Dignor*, ſibi ſumpſiſſe. (*Vid. Gel. lib. XV. cap. XIII.*)

§. XLIII. Et hac quidem benignitate magis digni ſunt Chriſtiani Scriptores, & maxime ſacrae Paginae Interpretes, quod ad id coacti fuerint (*) ſaepe, vel ut melius ſenſum Graeci, aut Hebraici textus exprimerent, vel ut inuſitatis conſtructionibus, & vocabulis idiotiſmos Graecae, aut Hebraicae linguae imitarentur: quo earum linguarum peritis Interpretationis, ſeu Verſionis fidelitatem, & ſuam in vertendo, & retinendo genuino ſenſu diligentiam probarent, & commendarent. Hanc ob rem forſitan D. Hieronymus, qui peritiſſimus erat & Latinae, & Graecae, & Hebraicae linguae, ut dictum eſt, noluit emendare nova vocabula, & inuſitatas Latinas conſtructiones Vulgatae

La-

Latinae Interpretationis, quamvis earum inſolentiam, non minus, quam noſtri Critici animadverterit. Quod S. Doctoris judicium imitari ſunt Viri doctiſſimi, qui juſſu Sixti V., & Clem. VIII., emendationem veteris Vulgatae editionis procurarunt: & iſti quidem, ut D. Hieronymus, non ignorabant, nonnulla eſſe in dicta Vulgata, quae parum uſitata, & parum Latina videri poterant Criticis moroſioribus. At ſciebant etiam, Latinos Interpretes antiquos Latii ſermonis ignaros non fuiſſe, & multa, quae nunc non reperiuntur in Latinis, qui extant libris priſcorum Romanorum, vere Latina eſſe poſſe, & in aliis, qui tunc exſtabant, & poſtea perierunt, reperiri potuiſſe: veritique ſunt, ne Latinitatem emendare volentes, vel corrumperent, ac depravarent genuinum ſenſum, vel ſano textui medicinam non neceſſariam adhiberent.

§. XLIV. Non dubito, quin docti Critici habeant, quae reponant iis, quae a me expoſita, vel indicata ſunt de idiotiſmis, & conſtructionibus Graecis, & Hebraicis. Occurrent fortaſſe illi, & dicent: licitum fuiſſe Latinis Scriptoribus, idiotiſmos, & conſtructiones Graecorum proprias imitari in Latina Oratione: non Hebraicas, quia Graecam linguam Romani Scriptores doctam reputabant, non vero Hebraicam, quam uti barbaram, & indoctam contemnebant: proindeque ejus phraſes neutiquam imitandas arbitrabantur ....

§. XLV. Haec vix dum legerat *Technophilus*, Graecis, & Latinis excultus litteris, & Hebraicarum non prorſus expers, Diſſertationis lectionem intermiſit: intuituſque in *Eterium* illa die deambulationis comitem, quem, & contubernalem, & condiſcipulum Barcinone habuerat in Theologiae, & Hebraicae linguae ſtudiis: quid tibi videtur, inquit, de hac reſponſione, mi *Eterie*, (*) qui quotidie ſacros Hebraicos codices ad pervincendam Ferrarienſium Hebraeorum in erroribus ſuis pertinaciam, eiſdemque viam ſalutis (pro munere tibi injuncto ab Excellentiſſimo & Reverendo admodum D.D. Alexan-

xan-

xandro Matthejo ex Jovis Ducibus, Ferrarienſi Archiepiſcopo vigilantiſſimo) commoſtrandam in manibus habes? Mihi videtur, inquiebat *Eterius*, in animo habuiſſe *Cenſorinum*, hac allata Criticorum reſponſione, omnes vias adverſariis praecludere ad effugiendam vim rationum ſuarum, nihilque diſſimulare eorum, quibus ſe tueri illi poſſent: uno verbo, omnia praeoccupare voluiſſe. Verum, qui ejuſmodi effugium ſibi pararet, cauſſae ſuae parum fidere ſe oſtenderet, & vim *Cenſorini* rationum, quod ad veterum Chriſtianorum Latinitatem attinet, ſentire. Nam quis linguam, non modo doctam, ſed doctiſſimam non appellet, quam Viri doctiſſimi, & ſanctiſſimi excoluerunt, quaeque omnis verae ſapientiae, & coeleſtis doctrinae aerarium, & gazophilacium dici poteſt? Quis, inquam, indoctam appellet, per quam mundo revelata ſunt ſublimia, & occultiſſima Divinitatis myſteria? Per quam Deus cum hominibus dignatus eſt loqui? Per quam demum voluit eiſdem exponere decreta ſuae ſanctiſſimae voluntatis? (*) Ita eſt, inquit, *Technophilus*. Tantum abeſt, ut indocta ſacra lingua dicenda ſit, ut & principium, & fons, ſeu Princeps omnium doctarum linguarum mihi dicenda videatur. Quod ſi Romani Ethnici eam indoctam reputabant; id proculdubio a rerum, & linguarum Latinae non affinium ignorantia proficiſcebatur. Sed audiamus *Cenſorinum*, de quo non dubitandum, quin ſolidiſſime hanc reſponſionem in lucubratione iſta refutarit. His dictis, reſumpto, & explicato iterum codice, lectionem denuo aggreſſus eſt,

§. XLVI. At vellem (proſequitur *Cenſorinus*) a Criticis iſtis doceri, quinam tandem ex Romanis Scriptoribus Hebraicam linguam, ut indoctam rejicerent, atque contemnerent. Doctine, an indocti, ac parum eruditi? Illine, qui linguam, Hebraicam didicerant, & ex libris, Hebraice ſcriptis plura accipiebant, ut ex Geneſi de Mundi origine, de Hominis creatione, de Diluvio, aliiſque Ovidius: ut ferocis equi deſcriptionem Lucanus ex Jobi

Hi-

Hiſtoria, ut Seneca, & Cicero ex Salomonis Proverbiis, ex Eccleſiaſtico, & Eccleſiaſte, ac ex libro Sapientiae, quae attinent ad morum diſciplinam? An illi, qui Hebraicae linguae prorſus ignari erant? Si indocti, & praefatae linguae ignari: nihil mirum, cum indocti proni ſint ad contemnenda, quae non intelligunt: nempe, quaecumque ignorant, execrantur. Docti, atque eruditi? Vix inter doctos numerandi, qui neſciant, Graecos a Phoenicibus, hos ab Hebraeis litteras didiciſſe.

§. XLVII. Sciebant haec Romani ſapientes, nec ignorabant, Graecos Philoſophos illuſtriores Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem ſolidioris Philoſophiae principia ex Hebraeis hauſiſſe. Ut merito Tertullianus exclamet, Sophiſtas, Poetas, Philoſophos de Prophetarum fonte potaſſe, & Hermippus Pythagoricus fateatur, Pythagoram plura ex Moſaica lege in Philoſophiam ſuam tranſtuliſſe: alii vero affirment, ex Moyſis Deuteronomio acceptum illud: *noſce te ipſum*: poſtea Chiloni, Thaleti, Oraculo Apollinis attributum. Sciebant, Moyſem ex Hebraica Gente, in AEgypto natum, & educatum, quem Graeci Muſaeum, & Mercurium triſmegiſtum vocabant, Virum ſapientiſſimum, & omni diſciplinarum genere excultum ante Graecos Sapientes floruiſſe, & litterarum in AEgypto inventorem fuiſſe (*Vide Clem. Alexand. lib.* 1. *Strom.*). Sciebant demum, quae Graeci antiquiores, & doctiores de Deo omnium Conditore, de divina Providentia, de Animorum immortalitate, de Origine, & fine mundi, de vitiis, & virtutibus ſenſerunt, & Romani poſtea, licet multis fabulis admixtis obſcurata, adoptarunt, ex Moyſis, & antiquis Hebraeorum ſcriptis accepta fuiſſe (*).

§. XLVIII. Contemnebant quidem Romani Hebraeorum ritus, & ceremonias: contemnebant eorum ſcripta, qua parte idolorum vanam ſuperſtitionem, deorumque pluralitatem refutabant; at eorum linguam, ceu indoctam contempſiſſe vix crediderim, cum viderent, ea lingua tradita tot ſolidae ſapientiae praecepta, & fundamenta jacta

omnium

omnium ingenuarum diſciplinarum (*). Sed eſto, contempſerint Romani, uti Hebraeos, quos Cicero appellat gentem, ſervituti natam, ita eorum linguam, &, quia fabulis Graecorum ornata non erat, indoctam appellarint, & aeſtimarint. An propterea docti Chriſtiani, qui inter Ethnicos Romanos vivebant, qui illius linguae, non modo erant periti, ſed putabant, eam ab Adamo fuiſſe inventam; & ſciebant eam ab Abrahamo, a Moyſe, a Davide, a Salomone, Daniele, & Eſdra, qui fuerunt Graecis omnibus, & Romanis multo doctiores, excultam, & illuſtratam, reputare indoctam debebant? An propterea, eam in Latinum transferentes ſermonem, non poterant ejus Idiotiſmos, & conſtructiones, non ſemel, ne ejus ſenſum depravarent, in Latino ſermone imitari? Si Ethnici (*) Romani, vertentes Graeca in Latinum, poterant Helleniſmos uſurpare, uti Terentius, & Alfranius, vertentes Menandri comoedias, ut Virgilius plura ex Heſiodo, Theocrito, & Homero, ut Horatius ex Poetis Graecis Lyricis, & Satyricis: ſi etiam, cum poterant uſitatis vocabulis, & conſtructionibus Latinis rem exponere, voluerunt Graeca vocabula, Graecaſque conſtructiones uſurpare; cur Chriſtiani Scriptores, qui Hebraicos libros in Latinum convertebant, non poterant coacti neceſſitate, & Latini ſermonis inopia, Hebraicas phraſes, & loquendi rationem Latino ſermoni accomodare, & interpretando adhibere?

§. XLIX. Nec movere quemquam debet ad reprehendendos ſacros Latinos Interpretes, & SS. Patres, qui uſi ſunt nonnullis novis vocabulis, & inſolitis conſtructionibus, quod inducta nova vocabula parum ſint concinna, & nitida, parumque auribus gratae conſtructiones: adeo, ut videantur ex vulgi faece emendicatae. Haec, inquam, neminem movere debent: cum conſtet, non omnia Latii vocabula eſſe aequae nitida, atque concinna, neque omnes Latinae orationis ſtructuras aeque auribus gratas. Quod ſi Critici importuni, & mihi moleſti eſſe pergant, inculcantes, Latinitatem veterum Chriſtianorum & Eccle-

cleſiae Patrum refertam inveniri vocabulorum a ſuavitate, & ſapore purae, ac defaecatae Latinitatis alienorum; juſto quovis Sacramento cum hiſce Criticis contendam: cum delicatis nempe illis, qui ſtatim auribus ſuis percipiunt barbararum vocum ſtridorem, & Latini ſermonis Sanctorum Patrum, & Veterum Chriſtianorum inſuavitatem, me reperturum in Varrone, qui magno cum plauſu doctrinae libros ſuos ſcripſit, & in lucem edidit, cum maxime Latina lingua floreret, quique, ut dictum eſt, Romanorum doctiſſimus, (*) vivo Cicerone, cenſebatur: me inquam reperturum voces, aeque auribus repurgatis ingratas, aeque obſcuras, aeque ſordidas, atque inuſitatas aureae aetatis, in qua vivebat, Scriptoribus, & plures etiam iis, quae notantur, tamquam barbarae, ſordidae, obſcurae, ferreae, & luteae in Vulgata Latina ſacrorum Bibliorum Verſione, ut item in Chriſtianis Scriptoribus priorum quatuor Eccleſiae ſaeculorum. Addo, quam in S. Proſpero, in Leone Magno: quam in Salviano, S. Maximo, Sulpicio Severo, & Sidonio Appollinare: quam in Gregorio Magno, quam in Boetio, in SS. Iſidoro, & Fulgentio, quam in Beda, S. Anſelmo, & S. Bernardo, quorum nonnulli non ſolum poſterioribus ſaeculis floruerunt, ſed cum barbaries ubique dominabatur, ſcripta ſua edidere.

§. L. Video vos, Sodales optimi, ad hanc meam ſponſionem riſum vix tenere poſſe, ac niſi urbanitatis, ac modeſtiae officia prohiberent, in cachinnos effuſos, & incompoſitos prorupturos; illud quin etiam dicturos

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes &c. Horat.

Verum ſtatim videbitis, me non vaniloquum vadem, aut ſponſorem fuiſſe. Incipiamus jam. Eſt ne in Vulgata Latina novi, aut veteris Teſtamenti, in veteribus Chriſtianis Scriptoribus celebrioribus, vox Latina magis ſordida, magis obſcura, & inuſitata, quam vox *Sculna*? Divinate, ſi audetis, quid ſibi vellet Varro, cum hanc vocem, quae nec nomen Perſonae proprium, nec cognomen eſt, neque

belluae, neque plantae, nec loci, neque artis inſtrumenti, quamque merito inter inuſitatas, & ſordidas voces recenſet Publius Lavinius antiquus Latinus Grammaticus, qui de *ſordidis vocabulis* ſcripſit::: Davus ſum, non Oedipus, mihi dicet veſtrum aliquis, in Terentio verſatus. Quinam intelligat vocem iſtam; quae videtur ex Scytis, aut ex Hirochis, aut ex Antropophagis Americanis accepta? Scitote igitur ex me, hanc nitidam vocem a Varrone pro voce *ſequeſter* uſurpari. Jam quid vobis videtur de verbo *Commalaxo*? de verbo *Gargaridio*, de voce *Rapinatores*, de voce *Satullem*, de vocabulis *Suffundatum*, *Bivira ae*, *Marenas flutas*, *Eunuchare*, *Spicum i*, *Puteum i*, *Olivitas*, *Auarius*, *Rutuba*, *Singulus*, *Genunt*? Mitto alia innumera id genus non minus nitida, & perſpicua, ne eorum ſtridore aures veſtras obtundam, & ſtomacho nauſeam creem, vel ne videar Sphingos aenigmata vobis proponere, ut ea diſſolvatis. An non vobis videtur, Varronem, Magnum Varronem, ut dictum eſt, aurei ſeculi Scriptorem, Ciceronis amicum, omnium Romanorum doctiſſimum, vocabula iſta ex Lexico aliquo Getarum, vel ex Latino aliquo, Evandri aetate lucubrato, vel ex Saliarium Numae carminibus mutuaſſe?

§. LI. Tranſeamus nunc ad conſtructiones, non minus inuſitatas, obſcuras, horridas, ſordidas M. Varronis. Legiſtiſne in alio aetatis aureae Scriptore, aut aetatis aeneae, vel luteae, & ferreae: *Quintiporis clodiam foriae*, aut *Tertiae viae*, pro *Tres*, aut *Ternae viae*? num inveniſtis: *Amnis quam*, pro *Amnis quem*: *luci claro*, pro *Die*, vel *luce clara*; *Rixent* pro *Rixentur*: *Imitare* pro *Imitari*, *Veſtiſpica* pro *Inſpector veſtis*: *Domuis*, *Anuis*, *Senatuis* in patrio caſu pro *domi*, vel *domus*, *anus*, *ſenatus*? Poſſem alia non minus ſplendida, & dulciſona, ſeu potius aeque foeculenta, obſcura, ſtridentia, inuſitata ex Laberio, ejuſdem aetatis Scriptore, producere; licet is excuſari poſſet, quod *Mimos* ſcribens, & Populo inerudito ſervire, eumque oblectare cupiens, vulgi vocabulis uti voluit. Poſſem demum ex aliis ejuſdem aevi Scriptoribus alia afferre ſimilia, licet non

mul-

multa, ſi hujuſmodi vocabula recitando moleſtiam vobis creare vellem. (*)

§. LII. His expoſitis (quorum omnium, ſi opus ſit, loca aſſignabo, in quibus ſcripta inveniuntur) dicite mihi, num ſint in antiquis Chriſtianis Scriptoribus, aut in antiqua Latina ſacrae Paginae Verſione, in Eccleſiae Patribus, & SS. Doctoribus IV. priorum Eccleſiae ſeculorum, qui proculdubio, & Varronem, & omnes Ethnicos Romanos multitudine ſcriptorum ſuperarunt (quo excuſari illi poſſent, ſi minus accurata Latinitate ſcripſerunt). Num ſint, inquam, aut in his, aut in poſteriorum aetatum, a me citatis Scriptoribus voces, ſeu vocabula tam horrida, tam ſordida, obſcura, inuſitata, aut ſimiles tam diſtortae conſtructiones?

§. LIII. Ridete nunc, ſi audetis, & cachinnos tollite ad meas ſponſiones. Si vocabula Latina aeque ſordida, aeque obſcura, & horrida: ſi conſtructiones aeque male architectatas inveniſſent Critici in Vulgata Latina: *Deus* immortalis! Quas tragoedias excitaſſent! Quos clamores ad coelum extuliſſent! Quibus epithetis ſcripta Latinorum ſacrae Paginae Interpretum, ſeu eorum, qui eam e Graeco, vel Hebraico in Latinum ſermonem converterunt, inſigniviſſent! Videte, dicerent, quibus luminibus, quibus elegantiis, quibus gemmis pretioſiſſimis verſionem ſuam ornarint ſacrae Paginae Interpretes Latini, eamque illuſtrarint! Si eadem aut ſimilia invenirent in his, quos recenſui, Chriſtianis Scriptoribus, in Eccleſiae Patribus, & Doctoribus: ſi aut iſtis, aut ſimilibus vocabulis, ac conſtructionum ſordibus inquinaſſent ſcripta ſua; non modo eos barbaros vocarent, ſed barbariſſimos: non ſordidae tantum, & corruptae Latinitatis Scriptores, ſed ſordidiſſimae: non obſcurae ſolum orationis, ſed obſcuriſſimae. Cum autem haec inveniant in Varrone, & non diſſimilia in aliis *Ethnicis* aetatis aureae Scriptoribus, licet minus frequentia; non illos appellant Latini ſermonis corruptores. Corruptores autem? imo illos commendant, &

praedicant, tanquam Latinae linguae illuſtratores.

§. LIV. Sed ſinamus, hos Criticos ſua parum aequa critice frui: ſinamus, eos Latinitatem Ethnicorum Latinorum laudare, & Chriſtianorum contemnere, atque deſpicere. Nos imitemur Graecos Criticos Chriſtianos, qui non modo non reprehendunt Graecam Verſionem ſacrae Paginae a LXX. Interpretibus in AEgypto juſſu Ptolomaei Philadelphi factam, ſed laudant: non modo Graecos Patres, & Graecanicae Eccleſiae Doctores frequentis barbariſmi, & ſoloeciſmi reos non faciunt, ſed eorum Graeca ſcripta ab elegantia commendant: non modo ab eorum lectione non retrahunt Graecae linguae ſtudioſos, licet nova plura vocabula habeant, ſed hortantur, ut ea diurna, nocturnaque manu verſent: praeſertim opera Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chryſoſtomi, cui ob Graeci ſermonis elegantiam, & mirabilem eloquentiam oris aurei cognomen attribuerunt. Non modo denique Graecae linguae corruptores eos non appellant, ſed egregios, & inſignes ejuſdem linguae illuſtratores, graecique ſermonis copiae auctores ob nova ſacra vocabula ad Chriſtianam Religionem ſpectantia, quibus eam locupletarunt: *Finis*.

§. LV. Finitis Diſſertationis lectione, & actis gratiis *Hiſpano-Luſitano*, & *Technophilo*, pro labore ab eis ſuſcepto omnes conſurrexere; cumque parum jam diurnae lucis ſupereſſet, ad forum redire conſtituerunt, ut inde domum ſuam unuſquiſque repeteret, ſi vellet. Cum pomoerium relinquerent, & ad proximum vicum procederent: quid vobis viſum, inquit *Hiſpano Luſitanus*, de lecta Diſſertatione? Mihi viſum, inquiebat *Timioxenus*: egregie, & pro dignitate vindicatam Latinitatem veterum Chriſtianorum, eorum in primis, qui floruerunt primis IV. Eccleſiae Seculis, quos inter multi Patres, & SS. Eccleſiae Doctores numerantur: agendaſque gratias *Cenſorino*, cum ex agro redierit, omnium nomine pro ſtrenua navata opera in tam nobili, & ut nobis videbatur, difficili defenſione. Si vobis placet, ego, qui aedes *Cenſorino* proximas incolo,

ſcriptum

ſcriptum iſtud illi reſtituam, & gratias, quas potero, agam maximas pro ſua omnibus nobis gratiſſima, & probatiſſima lucubratione. Eum vero libentius conveniam, quod optem, ab illo mihi eximi levem ſcrupulum ſuper ſtylo, quo uſi ſunt veteres Chriſtiani Latini Scriptores: nec dubito, quin ille ſit, pro ſua humanitate, votis meis ſatisfacturus.

§. LVI. Quando levis eſt, inquit *Polyhiſtor*, iſte, qui te torquet, ſcrupulus, eum detege: fortaſſe noſtrum aliquis tibi eum eximere poterit, quin *Cenſorino* moleſtus ſis, & quin, dum ejus reditum exſpectes, ſcrupulo tuo divexeris. Cui *Timioxenus*: Non recuſo vobis illum aperire. Audite igitur, quid exponere *Cenſorino* cogitabam. Mihi videor, Criticos quoſdam audire, qui dicant; eſto: non fuerint Chriſtiani veteres, ſive ſacrae Paginae in Latinum Verſores, ſive Patres, & Eccleſiae Doctores, Latini ſermonis imperiti: uſi fuerint vocabulis Latinis idoneis, & minime malis conſtructionibus; aſt eorum ſtylus ſaepe eſt nimis planus, & ſimplex, omni ornatu deſtitutus, & parum dignus accurato, elegante, & perito Latino Scriptore. Optandum eſſet, ut ſtylus Latinus ſacrorum Bibliorum eſſet magis Ciceronianus, vel non multum diſtaret a Ciceronis ſtylo in Didacticis, in Oratoriis, & in Epiſtolis: in Hiſtoricis vero non multum recederet ab eo, quo uſi ſunt Livius, Caeſar, aliique non ignobiles Romani hiſtorici. At quis non videt probatiſſimorum horum Scriptorum ſtylo valde diſſimilem eſſe illum, quo uſi ſunt, cum ſacrorum Librorum Latini Interpretes, tum etiam SS. PP., & Eccleſiae D.D.? Ii certe multo majus operae pretium feciſſent, ſi ornatiore ſtylo, ac ſublimiore ſcripſiſſent, & Rhetorum figuras ſuo loco adhibuiſſent, Ethnicos Latinos Oratores, Philoſophos, Hiſtoricos imitati. Quid ad haec, putatis, repoſiturum *Cenſorinum*, ſi eum convenero, & de his interrogaro?

§. LVII. Cui *Polihiſtor*: facillime, inquit, & tibi, & Criticis ſatisfacere poſſet *Cenſorinus*, dicens, ſe priſcorum

Chriſtianorum, ac Eccleſiae P.P., & D. D. Latinitatem, a frequentis barbariſmi, ac ſoloeciſmi nota vindicando, atque oſtendendo, eos corruptores non fuiſſe, ſed illuſtratores, & auctores copiae Latini ſermonis, promiſſum exſolviſſe, fidemque ſuam liberaſſe. De eorum autem ſtylo differere hujus diei negotium non eſſe, nec ad praeſentem diſputationem ſpectare. Quid autem dicturus eſſet *Cenſorinus*, ſi tu illum de hoc interrogares, divinare non poſſum, neque auderem tibi, ſi de ſtylo Vulgatae, & SS. PP. ſenſum meum exquireres, reſpondere; cum, ut verum fatear, parum verſatus ſim in SS. PP., & Eccleſiae DD., qui ſacram Paginam, ſecundum Apoſtolicam traditionem doctiſſimis Commentariis illuſtrarunt: neque alia SS. PP. ſcripta legerim, quam fragmenta illa, quae in Breviario Romano continentur. Si de antiquis, & recentibus Hiſtoricis, & Poetis Latinis: ſi de Phyſicis, ac Mathematicis, & miſtis ex me quaereres, quinam obſcuro, quinam perſpicuo ſtylo theoremata ſua explicarint? fortaſſe poſſem votis tuis ſatisfacere. Nam ſodales meos Hiſpanos non latet, me in Hiſpania Philoſophicis, & Mathematicis publice docendis, poſt Humaniores litteras traditas addictum fuiſſe, totumque ab eo tempore Clavii, Carteſii, Petavii, Neuthonis, Leibnitzii, Deſchalezii, Wolfii, Galilaei, Gaſſendi, Bernoulliorum, Nolleti, Euleri, aliorumque lectioni me tradidiſſe, quo poſſem, & auditores meos erudire, & Lexicon Mathematicum, continens antiqua, & recentia inventa, ad has Facultates ſpectantia lucubrare. Quo factum eſt, ut parum admodum temporis mihi ſuperfuerit ad incumbendum in ſacrorum Bibliorum, & Eccleſiae PP. ſeriam lectionem. Quam ob rem ſuper his malo tacere, quam errare.

§. LVIII. At ſunt hic, addebat, Theologiae Profeſſores emeriti, qui nullo negotio poterunt ſcrupulos omnes circa ſtylum ſacrorum Librorum, & Eccleſiae Patrum tibi ex animo evellere, quin neceſſe habeas exſpectare *Cenſorinum*. Forte, parum antequam *Technophilus* Partem alteram Differta-

tationis legere coepiſſet, illac deambulationi pomoeridianae intenti tranſibant tres Theologiae in Hiſpaniae frequentiſſimis ſcholis Profeſſores, qui exiſtimantes, illic legi litteras ex Hiſpania acceptas; petita venia, audientiam auxerant, & lectionem Diſſertationis cum voluptate, ad finem uſque audierant. Horum alter, qui in exponendis ad mentem SS. PP. difficilioribus, & obſcurioribus Vulgatae Latinae locis conſenuerat, non multis rogari paſſus eſt a *Polybiſtore*, reliquiſque ſodalibus, ut propoſitis a *Timioxeno* de ſtylo ſacrae Paginae, & SS. PP. dubiis ſatisfaceret. Itaque in hunc modum dicere orſus eſt; cum omnes una lento gradu interea ad Urbem accederent.

§. LIX. Quamquam de ſtylo, humili praeſertim & ſublimi, ſerio, & ludicro, ſimplici, & ornato, atque eleganti, copioſo, ſive circumducto, mediocri, & jejuno, Aſiatico nempe, Attico, & Laconico judicare, Philologi ſit potius, quam Theologi, qui de ſenſu, & ſententia Scriptoris ſacri, magis quam de ſermonis ornatu, & elegantia, de copia, & parſimonia verborum ſollicitus eſſe debet; nihilominus non invidebo vobis, quae ipſe ſentiam de ſtylo ſacrorum Librorum, & Eccleſiae P. P. quin propterea velim, *Cenſorini*, & aliorum, forſan aliter ſentientium, judicio meum praeferri,

§. LX. Ac in anteceſſum illud exiſtimo, in mentem *Cenſorino* non veniſſe, proponere Latinitatis ſtudioſis, tanquam exemplaria ad imitandum, nec Vulgatam Latinam, nec ſcripta Eccleſiae Patrum, & SS. DD. Illud unum, niſi ſi male percepi, quae audivi, contendit *Cenſorinus*, & in animo habet, (quod privatim etiam ex illo, de his loquendo, intellexi) vindicare veteres Chriſtianos Scriptores a Criticorum criminationibus, & a nota, quae eis inuritur, corruptae ab ipſis Latinitatis, dignoſque eſſe, qui legantur ab Humaniorum litterarum cultoribus, tum propter ſalutarem eorum Doctrinam, tum etiam, quia eis non ſemel opus erit de ſacris, ſive Eccleſiaſticis argumen-

tis

obſcuritas in Prophetis omnibus eſſe ſolet, quorum praedictiones tunc nobis innoteſcunt, cum ſunt adimpletae. Librorum Hiſtoricorum ſtylus (ſi initium Geneſeos excipias, quod ab Ethnico Scriptore Longino, de *ſtylo ſublimi* ſcribente in exemplum ſtyli ſublimis citatur, & initium Evangelii S. Joannis, quo nihil ſublimius) eſt planus, & ſimplex, qui proprius eſt verae, & non fucatae, commentitiaeque narrationis. Haec enim ſimplicitas facit, ut nullam ingerat narratio lectoris menti fictionis ſuſpicionem, quam vix effugiunt Ethnicorum Hiſtoriae, & quaevis aliae, quae nimio ornatu, ac oratoria verborum pompa ſcriptae ſunt. Facit etiam ſtylus iſte, ut ea, quae narrantur perſpicua ſint; adeo ut in ſacris Hiſtoriis Novi, & Veteris Teſtamenti ſingulares, & praecipuae tres Hiſtoriae dotes reperiantur: narrationis brevitas, perſpicuitas, & veritas, quae in Evangeliis, & Actibus Apoſtolorum maxime elucent, & difficile eſt, eas dotes in ullis Graecorum, & Romanorum Hiſtoriis invenire.

§. LXIII. Planus item eſt, & ſimplex, atque adeo perſpicuus ſtylus Levitici, quia leges continet, & ritus ab Hebraeis ſervandos; neque vero leges, & praecepta ſunt alio, quam plano, & perſpicuo ſtylo promulganda, ne obſcuritas negligentibus praetextui eſſe poſſit ad leges non obſervandas, & praecepta non adimplenda. Tandem plurium ſacrae Paginae librorum ſtylus eſt Didacticus, ſive doctrinae tradendae idoneus, qui moderatus, & mediocris eſſe debet, ſecundum Rhetores praeſtantiores, ſequutos Ciceronem. (*Vide D. Paul. ep.* 2. *ad Timot. cap.* 3. *v.* 15. 16.)

§. LXIV. Verum, tametſi Criticis largiremur, omnes ſacrae Paginae libros (quod de Hiſtoricis negari non poteſt) eſſe ſimplici ſtylo, & ſine ornatu oratorio ſcriptos; nihil minueret, imo multum commendaret eorum meritum, & pretium. Primum, quia, ut ait Hieronymus: *eſt ſemper in verbis ſimplicibus ſenſus auguſtior*: tum etiam, quia ut ait S. Cyprianus: *in judicii contentione pro roſtris opulenta facundia volubili ambitione jactetur: at cum de Domi-*

no

no Deo vox eſt, ut vocis pura ſinceritas, non eloquentiae viribus nititur ad fidei argumentum, ſed rebus. Demum, quia in ſacris Scripturis, in quibus Deus cum hominibus loquitur, veritas imprimis quaeritur, quae affectata ornamenta, & fucatam orationem non amat. Haec proculdubio diceret *Cenſorinus*; & fortaſſis citaret heic (quod alio in Opere, indicatis Graecis verſibus, eum feciſſe memini) Euripidem, qui in *Phoeniſſis* ait: *Veritatis eſſe ſuevit Oratio ſimplex, vafris non egens ambagibus: ſiquidem ipſa per ſe congruit; at ſermo iniquus, cum per ſe ſit morbidus, medicamina exquiſita depoſcit ſibi* (*). Quid? quod ſacrae Paginae ſermo, utpote Divinus, (*D. Paul. ad Heb. cap. 4.*) per ſe eſt vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad cordis penetralia, quin egeat humano artificio, ut per eum Deus potentiſſime, ac ſuaviſſime audientium animos vel afflictos ſublevet, vel jacentes erigat, errantes dirigat, moerentes conſoletur, & quamlibet in partem flectat loquentis arbitratu.

§. LXV. Quod ad veteres PP. & Sanctae Eccleſiae DD. attinet, ut & ad Chriſtianos caeteros antiqui aevi, qui aliquid vel verſu, vel proſa ſcripſerunt; praeterquam quod aliquorum ſtylus eſt ſatis, nonnumquam etiam pluſquam ſatis ornatus, id eſt figurarum, ac troporum luminibus diſtinctus, magis quam plurium ſui temporis Ethnicorum, quod Minutii Felicis, S. Cypriani, S. Patiani, Lactantii, S. Hieronymi, Ambroſii, Ruffini, Leonis Magni, Sulpitii Severi, S. Paulini, & aliorum ſcripta teſtimonio eſſe poſſunt; veteres PP. & SS. DD. Latini utebantur eo ſtylo, qui magis aptus, & accommodatus eſſet argumento, de quo agebant, quique docendis, erudiendis, & excitandis ad pietatem populis, erroribus refellendis, & iis, quibus cum agebant, magis idoneus ipſis videbatur. Nonnunquam plano, interdum ſublimi, non ſemel acuto, ingenioſo, & figuris ornato; poterant quippe multi ex illis id praeſtare, quia & magno ingenio praediti, & Latini ſermonis, ac Artis Oratoriae non expertes, ut Tertullianus, Arnobius

bius Lactantii Magiſter, S. Cyprianus, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Ruffinus, quorum plerique Humaniorum litterarum, & Rhetorices fuerunt non ignobiles Profeſſores (*Vide S. Hieron. & Bellarm. de Scriptoribus Eccleſ.*). Verbo: dici, poteſt de PP. antiquis, & Eccleſiae DD. quod de Ambroſio, & Cypriano Auguſtinus lib. 4. de *Doctrina Chriſtiana* ſcriptum reliquit: de humilibus ſubmiſſe, de mediocribus temperate, ac de magnis ſublimiter egiſſe; quin tamen vellent Divina eloquia per omnia Donati regulis conſtringi.

§. LXVI. Num exiſtimas, Ciceronem eodem ſtylo uſum in omnibus Scriptis ſuis? Non adeo ille quidem ignarus erat, vir in Arte Oratoria, & Eloquentia Princeps; ut neſciret, non omnia eodem eſſe ſtylo ſcribenda, ut ipſe in libris de *Officiis*, *& de Oratore*, alibique animadvertit.

§. LXVII. At pauci, inquis, admodum ex Chriſtianis antiquis Scriptoribus, ſi Lactantium excipias, ſunt perfecte Ciceronem imitati: pauciores Caeſarem, Livium, Curtium. Audio; ſed numne omnes Ethnici ſcriptores qui eodem, vel paullo poſteriore aevo floruerunt, ſcriptores praefatos ſunt imitati? Qui legerit attente Senecam, utrumque Plinium, Tacitum, Florum, Juſtinum, qui poſteriores Cicerone fuerunt: vel Salluſtium, Vellejum, Nepotem, qui Ciceronis, Caeſaris, Livii fuerunt aequales, non poterit non animadvertere, plurimum, & inter ſe, & a Cicerone, Caeſare, & Livio diverſos in ſtylo eſſe. Egregie itaque falluntur, qui putant, omnes qui Ciceronis tempore, vel eidem proximo vivebant, Ciceronianos fuiſſe. Non omnia Ciceronis probabantur Bruto: non omnia Aſinio Pollioni: non Calvo, non Gallo, non Largio Licinio, a quo liber infando titulo, ut ait Gellius, *Cicero-Maſtix* dicitur exaratus.

§. LXVIII. Verum cui mirum erit, doctis illis viris non omnia Ciceronis probata, cum conſtet, quaedam M. Tullii Pomponio Attico, ſummo ejus amico non placuiſſe? Addere poſſem ex Quinctiliano, vel Tacito in Dialogo de *Oratoribus*

an-

antiquis, *& recentibus*, mutari cum temporibus, & formam, & genera dicendi (atque adeo ſcribendi)::: Item: non eſſe unum eloquentiae vultum, ſed in illis, qui vocantur antiqui, plures ſpecies deprehendi: nec ſtatim deterius eſſe, quod diverſum eſt: vitio autem malignitatis humanae, vetera ſemper in laude, praeſentia in faſtidio eſſe. Tandem cum conditione temporum, ac diverſitate aurium, formam quoque, ac ſpeciem Orationis eſſe mutandam::: Quod fortaſſe movit Auguſtinum, cum Afris ingenioſis, & acutis agentem, ut fere ubique in ſuis ſcriptis, in Homiliis praeſertim, & Concionibus ad populum, ingenioſum ſe prodat, & acutis dictis ornet ſuas lucubrationes, eas audientium & legentium auribus, palatoque accomodans. Haec mihi videntur dictum iri a *Cenſorino*, vel alia in idem recidentia, ſi ei, ut nobis, ſcrupulum tuum aperuiſſes; & puto eum, ſi a te, cum ex agro redierit, conſulatur, (nam ex vobis intellexi, Ferraria abeſſe) ſecundum me judicaturum. Haec cum diceret Theologiae verus ille, & emeritus Profeſſor, *Timioxeno*, & caeteris adprobantibus, ad forum pervenerunt: dictoque invicem vale, alii ad templa nondum clauſa, alii ad aedes ſuas, alii ad amicos inviſendos uſque ad coenae tempus ſe contulerunt.

ADNOTATIONES RESPONDENTES §§., SIVE NUMERIS DISSERT. III.

Adnotatio I. reſpondens num. IX.

Magnus purae, & defaecatae Latinitatis aſſertor Jacobus Facciolatus in altera ex ſuis Orationibus ſelectis vocat pluſquam ferreas, & luteas voces iſtas Latiniſſimus Juramentum, Abjuratio, Proficuus, Influxus, Titillamentum, Ingratitudo, Ad invicem, *quibus uſi ſunt Chriſtiani nonnulli Scriptores, quos inter Eccleſiae PP. & Sancti Doctores: fortaſſe non ſine exemplo veterum Romanorum, vel attenta analogia, vel acceptis ex Scriptis Latinorum bonae ae-*

aetatis , quae ad illos , non ad nos pervenerunt . De voce Juramentum *notum eſt in Seneca inveniri .* Ingratitudo *in titulo Capitis* 3. *Val. Maximi lib.* 5. Ad invicem *invenitur in operibus D. Auguſtini : & forſitan* Ad *praepoſitio addita eſt a locum tranſcribente: nam alibi S. Doctor utitur* invicem *ſine* Ad . *Reliqua non abhorrent ab indole Latini ſermonis, nec ab ejus ſuavitate , & derivata ſunt a verbis vere Latinis , & idcirco Gulielmus Budaeus , cui ferrea , & lutea vocabula non placebant , dedignatus non eſt uti ſuperlativo* Latiniſſimus (*exemplo D. Hieronymi*) *in* Praefat. ad Interpretationem Plutarchi de Placitis Philoſ. . *Vox quippe* Latinus , *cujus ſuperlativum eſt* Latiniſſimus *non tantum nomen gentile eſt, ſed ampliatur ad ſignificandum , & Latii ſermonem , & eo ſermone loquentem . Reprehendit item diminutiva ;* Notula *a* Nota , Hiſtoriola , *&* Hiſtoriuncula *ab* Hiſtoria ; *& tamen Facciolatus , tam ſeverus horum diminutivorum notator , utitur diminutivo* Lucubratiuncula , *& aliis diminutivis in* a , *ut etiam voce* Cathedralis *pro Templo primario Patavino , ſeu ſede Epiſcopi , quae difficile erit in antiquis Latinis Scriptoribus bonae aetatis invenire : nempe* manticam noſtram a tergo non videmus .

Adnotatio II. reſpondens num. XIII.

Notum eſt , curis Ptolomaei Philadelphi AEgypti Regis in Graecum ex Hebraeo ſermone converſos ſacros codices Veteris Inſtrumenti a LXX. Interpretibus . Quinam autem primi fuerint , qui vel ex Graeco , vel ex Hebraico in Latinum verterunt Vetus Teſtamentum ? ignoratur . Ex libris Novi Teſtamenti Evangelium S. Marci, dictante S. Petro , Latino ſermone exaratum fuiſſe , communis eſt opinio ſecundum Tirinum : licet poſtea Graece, & fortaſſe etiam linguis aliis, variis in locis ad Chriſtianorum ibi commorantium inſtructionem illud Evangeliſta ſcripſerit . Venetiis , ubi aſſervantur multa S. Marci monumenta , oſtenduntur paginae aliquot Evangelii S. Marci Autographae ; quas Cl. Monfalconius , qui eas examinavit , Latino ſermone exaratas putavit , ut teſtatur in ſuo Itinere Italico. *Forſan ſacri Scriptores , qui codices alios , Graeco, vel Hebraico ſermo-*

mone primum ſcripſerunt, eos variis linguis, Latina praeſertim, quae in toto Romano Imperio vigebat, poſtea exararunt; cum linguarum dono pollerent. Veriſimile tamen eſt, Apoſtolos graviſſimum hoc negotium propagando Evangelio utiliſſimum, Diſcipulis dono linguarum, & Coeleſti Sapientia inſtructis demandaſſe. Evangelium S. Matthaei, quod Hebraice ab Evangeliſta ſcriptum dicitur, inventum Cypri cum corpore S. Barnabae, manu bujus Sancti exaratum, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica novimus, & proculdubio Graece, vel Latine ſcriptum erat: cum S. Barnabas una cum D. Paulo gentium Apoſtolus ordinatus eſſet, & in Cypro Graeca inſula non niſi Graeca, aut Latina lingua incolae uterentur. Quod enim Arduinus vir magni, ſed nimium audacis ingenii, tradit, Apoſtolos non niſi Romana lingua, quae communis Imperii Provinciis erat, praedicaſſe, & ſcripſiſſe, paucis perſuadebit. Praeſtat namque in rebus obſcuris, & a nobis remotis antiquorum opinionem ſequi, quam divinando res inauditas proferre.

Adnotatio III. reſpondens num. XVI.

Liber Paſtoris *ſolum invenitur Latine ſcriptus, Fortaſſe ab Hermete ejus Auctore Latine exaratus fuit; cum conſtet, Romae vixiſſe in fine I. Eccleſiae ſeculi: quo poſito ad I. Eccleſiae ſeculum Latinum opus illud Auctoris Chriſtiani, quod a nonnullis inter libros Canonicos olim relatum fuit, pertineret.*

Adnotatio IV. reſpondens eidem num. XVI.

M. Auguſtinus lib. 19. de Civitate Dei, *ait:* Data eſt opera, ut Civitas imperioſa (de Roma loquitur) non ſolum jugum, ſed linguam ſuam domitis Gentibus imponeret. *Vide Adnot. I. reſp. num. XVI. primae Diſſert.*

Adnotatio V. reſpondens eidem num. XVI.

Idem dici poteſt de Apologiis Quadrati ad Hadrianum, Claudii Apollinaris, & Athenagorae ad M. Aurelium Romanos Imperatores: Latino nempe ſermone eiſdem fuiſſe praeſentatas pro Chriſtianis, & pro Chriſtiana Religione.

Adnotatio VI. reſpondens eidem num. XVI.

Cenſorinus *reſponſionem paratam babebat objicientibus teſtimonium S. Auguſtini ex lib. V. de Civitate Dei, ubi obiter*

S.

S. Doctor de Claudiano ait, fuiſſe a Chriſti nomine alienum. Pro Auſonii, & Vegetii Chriſtianiſmo rationes haud leves afferebat.

Adnotatio VII. eidem num. reſpondens.

Laude ſua non fraudandus Valchius, qui licet Acatholicus, praeter ſuorum morem modeſte, & cum encomio loquitur de SS. Eccleſiae PP. & DD. Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino, quibus Ruffinum addit, facta ante hos omnes S. Damaſi mentione. De primis quatuor ait: Eloquentiſſimi quidem PP. ſunt, quamvis non tam voce, & dictione, quam rebus, quibus Eccleſiae utiliſſimam operam navarunt. Poterat etiam eloquentiam commendare non multo poſteriorum PP.: S. ſcilicet Petri Chryſologi, Leonis M., & M. etiam Gregorii. Cum vero eloquentiſſimos appellet, & iidem Latine ſcripſerint, ac Latine Dei verbum enuntiaverint; eos non modo inventione, & prudentia, ſed & dictione, non prorſus inculta, & ineleganti floruiſſe neceſſe eſt: cum ſine his nemo eloquens, & multo minus eloquentiſſimus dici poſſit. Laudem meretur etiam, quod commendet lectionem veterum Chriſtianorum, tum Poetarum, tum aliorum, praeſertim Minutii Felicis, Lactantii, Sulpitii Severi, Prudentii, S. Paulini, Sidonii Apollinaris; uti etiam Tertulliani, S. Cypriani, Arnobii, licet in illis, ut ait, vocabula parum Latina inveniantur. Verum, quae notat in Minutio Felice, & Sulpitio ſunt fere omnia Eccleſiaſtica: caetera, & quae in aliis tanquam parum Latina carpit, forſitan difficile non eſſet in Ethnicis Romanis ejuſdem, aut ſuperioris aevi Scriptoribus, & illis quidem pejora, & magis horrida invenire. Prae oculis habere deberent Critici reprehendentes Latinitatem veterum Chriſtianorum, & Eccleſiae Patrum, ut alibi dictum eſt, eos legiſſe plures Latinos, & quidem optimos Scriptores, quorum opera ad nos non pervenerunt. Nonnullorum enim ſcripta omnia temporum injuria, & librariorum negligentia perierunt: aliorum partem ſolum aliquam habemus: quae tamen omnia tempore priſcorum Chriſtianorum exſtabant, & legebantur.

Adnotatio VIII. reſpondens num. XVII.

Terentius uſus eſt vocibus ſatias *pro* ſacietas: peccato mihi *pro* ſi quid peccavero: calvor *pro* fruſtror: oſſum *pro* os oſſis: pulto *pro* pulſo: abuti operam *pro* abuti opera: ſuſpectio *pro* ſuſpicio: *aliis. Credibile eſt, in Africa vulgus uſum fuiſſe vocabulo* Oſſum i *pro* Os oſſis, *ut melius intelligeretur, eos, qui vocabulo illo utebantur, non loqui de* Ore, *quo loquimur, & manducamus, aut de facie, conſpectu, ſpecie, ſeu figura animantis, quae omnia per* Os *ſignificantur, cum genitivo* Oris. *Nam D. Auguſtinus* lib. 4. de Doctrina Chriſtiana *ait, ſe non refugere vocem* Oſſum *in Allocutionibus ad Populum, ut melius, ac ſine ambiguitate intelligi poſſit, de quo loquatur; tametſi eidem parum Latinum videretur. Forſitan voces illae Terentii, erant propriae ſermonis vulgaris Romanorum, ut item* Cubitum i *neutrum, quod S. Hieronymus minus Latinum cenſet.*

Adnotatio IX. reſpondens num. XXII.

Lucius Marinaeus Siculus a Vaſſaeo vapulat non immerito, quod nnnquam D. Lucam voluerit alio, quam Lucii *nomine appellare, ſeque* Lucium, *cum Lucae nomen haberet, appellarit. De hiſce Ciceronianis ait Muretus*: Qui quidem, niſi ſibi metuerent, pro Chriſto Jovem. O. M. dicerent; eſt enim magis Ciceronianum.

Adnotatio X. reſpondens num. XXIV.

Quae autem inſania eſt, *inquit Muretus lib. XV. var. lect. cap. I.* cum porricere, cum impetrire, cum tripudium ſoliſtimum, cum pateras, cum ſimpulum legimus, notare ea tanquam dicta ſapienter, quod ex Auguralibus, vel Pontificalibus (*Ethnicorum*) libris depromta ſint; propria Chriſtianae fidei, & Chriſtianorum rituum verba, ut non ſatis Latina contemnere.

Adnotatio XI. reſpondens num. XXIV.

De Caecilio, & Pacuvio ait Tullius in lib. de Oratore, *male Latine locutos. In Ennio, & Naevio ſunt carmina, quorum latinitas ferrea, & lutea dici poteſt: adeo, ut non immerito dixerit Virgilius, ſe ex luto Ennii nonnullas auri parti-*

ti-

ticulas collegiſſe. Profectò, nec in Juvenco, nec in Sedulio, Prudentio, S. Paulino, Boetio, nec in aliis antiquis Chriſtianis Poetis reperitur carmen tam inficetum, tam ridiculum, ac puerile, quam ſit illud Ennii in Annal.

O Tite tute Tati, tibi tanta Tyranne tuliſti.

Naevius autem Ennio poſterior, qui rebatur, ſe extincto, Latinam linguam Romae interituram, ſic incipit Hiſtoriam primi Belli Punici, quam verſibus Jambicis ſcripſit:

Quei terrai latiai hemones tuſerunt
Vires, fraudeſque poinicas fabor.

Quotuſquiſque haec ferret in Chriſtiano Poeta, ſeu Verſificatore medii aevi, quod barbarum appellant? Virgiliana, & Ovidiana ſunt multa Poemata barbaricorum ſeculorum, ſi cum Ennii, & Naevii adductis carminibus, & aliis conferantur. Plura vocabula ſatis ſordida Naevii affert A. Gellius Noct. Attic. *cap.* 7. *lib.* 19.: *eaque ex ſola* Alceſti. *De Lucilio ait Horatius*, lutulentum fluere, *licet non ignoraret, apud Romanos tunc temporis Lucilii Satyras magno aeſtimari. Nihilominus ejus Latinitatem Critici lutulentam non cenſent.*

Adnotatio XII. ad num. XXV.

D. Auguſtinus de Doctrina Chriſt. *lib.* 2. *cap.* 11., *ait:* Sunt quaedam verba certarum linguarum, quae in uſum alterius linguae per interpretationem tranſire non poſſunt. *Similia habet de locutionibus cap.* 50. de Vera Religione: *& D. Hieronymus in una Epiſt. ad Pammachium, & in Praef. ad translationem Chronici Euſebii. Primus loco cit. ait:* Habet enim quaevis lingua ſua propria quaedam genera locutionum, quae cum in aliam transferuntur, videntur abſurda. *Secundus ait.* Difficile eſt, & arduum, ut quae in alia lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translatione conſervent. *Uterque Sanctus Doctor tradit regulas ad recte interpretandum. Vide D. Auguſtinum cap.* 12. *&* 13. *de Doctrina Chriſtiana lib.* 2. *Vide etiam librum* 4., *in quo de Eloquentia ſacrorum, & eccleſiaſticorum Scriptorum eloquentiſſime contra intemperantes Criticos diſſerit. Heic loci D. Paulli eloquentiam commendans, objicit ſibi dictum Paulli Epiſt.* 2.

ad Corinthios cap. 11. *v. 6.* Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia: *iludque exponit dicens*, *D. Paullum non confiteri ſe eſſe* imperitum ſermone, *ſed hoc dare obtrectatoribus ſuis*, *quod dare detrectat de ſcientia*, *ſine qua Doctor eſſe non poſſet*: *& idcirco non dicere*: Ego quidem imperitus ſermone; *ſed* etſi imperitus ſermone *cet.*

Adnotatio XIII. ad eundem num.

Poſſevinus in Biblioth. ſelecta, *ait*: *tot eſſe in ſacra Hebraica Scriptura Sacramenta*, *quot ſunt litterae*, *tot Myſteria quot puncta*, *tot arcana*, *quot apices*.

Adnotatio XIV. eidem num. reſpondens.

Aliae cauſſae obſcuritatis Sanctarum Scripturarum videri paſſunt apud Poſſevinum in Apparatu ad ſtudia Sacrae Scripturae, *Ferrariae typis edito*, *& apud Martinum Becanum*, *lib. I.* Controverſiarum.

Adnotatio XV. reſpondens num. XXX.

Hugo a S. Victore, Hom. I., *ait de ſacris Litteris loquens*: *in eis quidquid docetur veritas*: *quidquid praecipitur bonitas*: *quidquid promittitur felicitas*.

Adnotatio XVI. reſp. n. XXXIII.

Si Valchio credimus, *reperire licet in bonis Scriptoribus Latinis a* Dormio, dormibo, *ab* Expedio, expedibo: Diſcedi, Excedi, Decedi *a ſuis verbis in Praeterito*. Ips *pro* is: quips *pro* quis: ipſus, ollus *pro* ipſe, ille. *Addere potuiſſet* Comedim *pro* Comedam: Poteſtur *pro* Poteſt: Propritim *pro* Proprie: Travio *pro* Tranſeo: Remaſſe *pro* Remanſiſſe: Toneſcit *pro* Tonat: Canitudo *pro* Canities: Hamiotae *pro* Piſcatores: Facul, Difficul. cet. cet. *Nonnunquam etiam nomina primae inflexionis in* a *cum Genitivo* as, *ut* familias, curas, eſcas, monetas, triſtitias. *Addo ego ex Priſciano lib.* 15. Aliter *dictum ab eo quod eſt*: Hic Alis, hujus Alis, huic Ali, *pro* Alius, Alius, Alii: *Item ex Lucretio ſaepe lib.* 1. Alid *pro* Aliud, *vel* aliquid, *ut etiam lib.* 2., *&* 5. *Haec in Ethnicis Latinis Scriptoribus* Archaiſmi *appellantur*, *& excuſantur a Criticis*. *In Chriſtianis veteribus Scriptoribus graviter reprehenderentur*; *adeo iniqui in noſtros ſumus*.

Ad-

Adnotatio XVII. reſp. num. XXXIV.

Non adeo indubiae fidei ſunt vulgatarum Grammaticarum Canones, ut nefas ſit multa, quae ſtatuunt, in dubium revocare. Gaſpar Scioppius audacis Critices Grammaticus, ut Grammaticam ſuam Philoſophicam, vel potius Sanctii Broſſenſis Hiſpani, commendaret, & in ſcholas induceret, religionem, ſive ſcrupulum injicere Epiſcopis conatus eſt, quod permitterent, Pueros in ludis Latinitatis veterum, ſive vulgatarum Grammaticarum praeceptis erudiri; cum veteres Grammaticae, ut ipſe ait, plenae ſint fraudibus, & mendaciis. Ut cum arborum, & urbium nomina foeminina eſſe docent: in quibus genus magis petendum eſt a terminatione, quam a ſignificato: ſic Mediolanum, Lugdunum, Matritum *non foeminina ſunt, ſed neutra, propter terminationem.*

Adnotatio XVIII. reſp. num. XXXIX.

In Horatii Interpretibus adnotatum non vidi, Poetam Grammaticae canones neglexiſſe in verſu 3. Epiſt. 19. lib. 1. Epiſtolarum, *ubi omiſit propoſitionem* ab, *quae apponi debebat ante* aquae Potoribus, *ne dubius maneret Lector, utrum* Potoribus *eſſet caſus Dativus, an Ablativus. Si id, & alia, quae poſtea* Adnotat. XXI. *notantur, animadvertiſſet Harduinus in Epiſtolis, & Satyris Horatii, in quibus hic uti in Odis, ut metri leges ſervet, Grammaticas negligit; etiam Epiſtolas, & Satyras Horatii non eſſe definiſſet ob pravam Latinitatem, quemadmodum ob hanc cauſſam Odas Horatii eſſe negavit. Virg. AEneid.* 5. It coelo clamor *pro* ad coelum. *AEneid.* 7. Belloque animos accendit agreſtes *pro* ad bellum.

Catullus: Phaſelus ille, quem videtis hoſpites
Ait fuiſſe navium celerrimus.

Ovidius: Non intelligor ulli *pro* ab ullo

Lucanus: . . . . . Tutumque putavit
Jam bonus eſſe ſocer . . . . .

Cicero: Diceſſit a Brunduſio.

Livius: Proficiſci Pelopponeſum.

Adnotatio XIX. reſp. num. XL.

Hac ratione excuſat Martialis. Epig. *mihi 7. lib. 2. ob-*

ſcuritatem, & pravam Latinitatem, ſi quae reperitur in ſuis verſibus.

Si qua videbuntur chartis tibi, Lector, in iſtis,
Sive obſcura nimis, ſive Latina parum;
Non meus eſt error: nocuit Librarius illis,
Dum properat verſus adnumerare tibi, *cet. cet.*

Adnotatio XX. reſpondens eidem num.

Saepe contingit, editores Operum antiquorum, plura verba, quae in antiquis, & fidelibus manuſcriptis inveniuntur, emendare velle, reputantes, ea parum Latina eſſe, quia nunc obſoleta, & alia ſufficere, quae revera Scriptoris non ſunt. Qua in re minime laudandi videntur; cum genuinam lectionem tollant ignorantia Latinae linguae. Debebant ſaltem (quod nonnulli faciunt) adnotare verba, quae in antiquis exemplaribus leguntur. Hoc vitio laborarunt etiam imperiti Librarii ante inventam Typographiam, manuſcripta veterum deſcribentes: quo factum eſt, ut plura exemplaria antiqua corrupta inveniantur. De Notariorum, & Librariorum imperitia, atque incuria queritur S. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Lucinium Boeticum, qui miſit ad eum ſex Notarios, ut coram D. Hieronymo tranſcriberent ſine mendis omnia Opera, quae S. Doctor ad illud tempus ediderat; ut etiam ad Hieroſolym. & Alexandrinam Eccleſias tantum auri quanto poſſet multorum inopiae ſubveniri, ut D. Hieron. teſtatur. Multi etiam nunc temporis queruntur de avaritia, & incuria Typographorum, libros parum emendatos, & quidem cum multis typographicis mendis edentium, ne expenſas faciant in bonis correctoribus.

Adnotatio XXI. reſp. num. XLI.

C. Salluſtius Criſpus, Ciceronis aequalis, in ſuis Hiſtoriis, quae vel integrae, vel ſolum in fragmentis ſuperſunt, abundat, non Archaiſmis ſolum, & parum uſitatis conſtructionibus, ſed vocibus etiam, vel novis, vel ampliori ſignificatione, & nova terminatione ab ipſo donatis, ut camera *pro* cubiculo *in conjurationis Catilinae Hiſtoria, ubi de conjuratorum carcere, & ſupplicio; licet Romani* camerae *nomine fornicem aedificii intelligerent.* Die *Genitivo pro* diei: ſenecto corpo-

pore, fluvia *pro* fluvius: ſatis *pro* ſatietas: juxtim *pro* juxta: celeratim *pro* celeriter: laetiſco *pro* laetor. *Saepiſſime utitur Infinitivo pro Indicativo. Item* collis *pro* colles: dubitatim *pro* dubitanter: jumenta pecuda: inermos *pro* inermes: refrago *pro* ſuffragor, carnificatus: Senati *pro* Senatus *Genitivo*: *alia. Horatius utitur frequentibus Helleniſmis in Odis, Satyris, & Epiſtolis:* cerebri felix *de Bollano*: ſceleris purus: integer vitae *in Ode ad* Fuſcum: deſine querelarum *in Ode altera*: *aliis. Item novis Latinis conſtructionibus: ut* Ibam forte via ſacra, *pro* per viam ſacram *Satyra IX. lib. I.* Dignum me praeſtabo pro laude merentis *in Epiſt. 7. lib. 1. pro* Dignum me praeſtabo, ut a te lauder, *vel* ut merear laudem tuam, *ut mittam alias. Initio hujus Adnotationis conſulto a me nominatur* C. Salluſtius Criſpus, *non* C. Criſpus Salluſtius: *quod feci monitus, & edoctus a Sereniſſimo GABRIELE BORBONIO CAROLI III. Hiſpaniarum Regis Filio, qui in Adnotationibus doctiſſimis ad Vitam Salluſtii, praefixam accuratae admodum Verſioni Hiſpanae Hiſtoriarum hujus celebris Scriptoris, a praefato Sereniſſimo Interprete editae, oſtendit,* Salluſtium *non cognomen, ſed nomen Romani Hiſtorici fuiſſe*; Criſpum *autem cognomen*: *ſolvitque rationes, quae in contrarium adduci poſſent.*

Adnotatio XXII. reſpondens num. XLII.

D. Athanaſius de haereticis Arianis loquens apud Vigilium Tapſenſem, ajebat: Quorum improbitas contra inſolentes eorum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula mutare, ac ſignificantius rerum naturas exprimere nos adegit.

Adnotatio XXIII. reſpondens num. XLV.

Magna fuit olim Romae diſceptatio, ut in II. Differt. *indicavit* Cenſorinus, *inter celebres Grammaticos, utrum nomina in* ius *finita, vocandi caſum haberent in* i, *aut in* e *finitum*: *aliis contendentibus pro* i: *aliis pro* e: *& adhuc ſub Judice lis eſt. De aliis Grammaticorum litibus vide* Orationem Facciolati de Grammatica. *Non paucas item narrat Gellius in* Noctibus Atticis.

Adnotatio XXIV. reſpondens eidem n. XLV.

Demetrius Phaleraeus interrogatus a Ptolomaeo Philadelpho, qui eum Bibliothecae ſuae praefecerat, cur Poetae, & Hiſtorici Rom., & Graeci nunquam de ſacris Libris, & rebus Hebraeorum mentionem fecerint? reſpondit: omnibus venerationi habitos, & non oportere, nec legem Hebraeorum, nec virorum, qui ſecundum eam legem vixerunt, facta, quia nimis caſta, profanis linguis exponi. Ita Joſephus de Antiquitatibus Judaeorum *lib.* 12.

Adnotatio XXV. reſp. n. XLVII.

Moyſes dicitur, Hebraeorum litteras inveniſſe: non quidem eas, quibus nunc Hebraei utuntur, quaſque Hebraicas appellamus (harum enim Eſdras inventor dicitur, quibus multo poſt a Maſſoretis puncta addita, vocalium loco) ſed Samaritanas diverſae figurae, quibus antiquiores Hebraei omnes utebantur.

Adnotatio XXVI. reſp. n. XLVIII.

In ſacris Libris Hebraice ſcriptis, non modo Theologiae, & Ethices principia continentur, ſed & ex illis omnes propemodum diſciplinae originem habent. Moyſes quippe DC. fere annis Homero anterior Coſmographiae, & Geographiae jecit fundamenta. Humanae item, & Eccleſiaſticae Hiſtoriae perfectum exemplar edidit. Phyſicam, & Politicam, atque adeo Juriſprudentiam primus illuſtravit: nec Legislatorem novimus Moyſe antiquiorem, qui codicem Juris Naturae, Gentium, & Civitatum exararit. Grammaticos demum, & Poetas Moyſe antiquiores ignoramus. Vide Poſſevinum in Apparatu.

Adnotatio XXVII. reſp. eidem n. XLVIII.

Primi, qui in Latinnm Homeri Opera verterunt, fuere Livius Andronicus, & Ennius, ut tradit, niſi ſi fallor, Alexander Politus in ſua Euſtathii Verſione, & Interpretatione. Si perveniſſent ad nos iſtae antiquiſſimae Operum Homeri verſiones, videremus, ut arbitror, in illis innumeras novas voces Latinas, & peſſimas plures Latini ſermonis conſtructiones: multos Helleniſmos Atticos, Doricos, AEolicos, & vocabula plura pluſquam ferrea, & lutea, cum quibus collata Latina vo-

ca-

cabula, *&* *ſtructurae*, *quae reprehenduntur in Latina ſacrae Paginae vulgata Verſione*, *&* *in SS. PP. Operibus*, *haec nitida perſpicua*, *ſplendidiſſima dici poſſent*, *ut etiam emendatiſſimae in his repertae conſtructiones*.

Adnotatio XXVII. reſpondens num. XLIX.

Marcus Tullius Epiſt. 6. ad Famil. lib. 9. Varroni ſcribens, *ait*: cum enim te ſemper magnum hominem duxi. *Idem Tullius Varroni dicavit lib.* Academ. QQ. *in quibus oſtendit quanti doctrinam Varronis faceret*. *Vide etiam Epiſt.* 8. *lib.* 9. *Epiſ. ad familiares*. *De Varrone Terentianus Maurus eleganter*, *&* *breviter dixit*: vir doctiſſimus undecumque Varro, *qui quidem tam multa legit*, *ut aliquid eum ſcribere potuiſſe miremur*: *tam multa ſcripſit*, *quam multa vix quemquam legere potuiſſe credamus*. *Vide D. Auguſt.* de Civit. Dei *lib.* 6. *Fortaſſe Varro minus doctus fuiſſet*, *ſi verborum anxiam ſollicitudinem*, *a Platone monitus non ſpreviſſet*. *Ait enim Plato in* lib. de Regno: *ſi minus ſolliciti de verbis fuerimus*, *futuros in ſenectute prudentiores*. Addo *&* *doctiores*. *Haec*, *&* *illa*, *quae* Cenſorinus *in decurſu hujus Diſſertationis vel expoſuit*, *vel indicavit de Latina inelegantia Varronis mihi perſuadent*, *celebriores aetatis aureae*, *&* *argenteae Latinos ſcriptores minus Latine*, *&* *eleganter ſcripturos fuiſſe*, *quam multi ex Chriſtianis antiquioribus*, *ſi tot volumina de rebus tam variis*, *ſublimibus*, *&* *difficilibus ſcripſiſſent*, *quot ſcripſerunt plures ex PP.*, *&* *SS. Eccleſiae Doctoribus*: *quod cum bona Criticorum venia dictum ſit*.

Adnotatio XXVIII. reſpondens num. LI.

Cicero uſus eſt vocibus Rauduſculum, Muginari, Averruncare, Tricari, Noctuabundus, Appietas, Lentulitas, Mulieroſitas, Minuritior, Sarracum, *aliis ſatis duris*, *&* *obſoletis*. *De nonnullis*, *quorum inventor fuit Cicero*, *jam dictum eſt*. *Haec adnotare placuit*, *ut deſinant ſeveriores Critici mirari*, *cum audiunt*, *vel legunt in Scholaſticis ſcriptoribus voces* Exiſtentia, ſubſiſtentia, carentia *ſubſtantive acceptas*: *ut item vocabula*, Deitas, Perſonalitas, Suppoſitalitas, Perſeitas, *&* *alia Metaphyſicorum*, *Dialecticorum*, *Phyſicorum*,

rum, aut Theologorum propriae, quibus ſignificantur plura, quae omnium purae Latinitatis Lexicorum ſubſidio, ne per multas quidem ambages, ſignificari poſſent: quaeque multi ex Criticis reprehenſoribus, qui ſcholas non frequentarunt, nec intelligunt, nec, ſi intelligerent, verbis magis idoneis explicare poſſent.

Adnotatio *XXIX.* reſpondens num. LXII.

Octavins Jadertinus Minorita Dalmata in Prologom. ad ſacram Scripturam *ait: ſacros Libros eleganti ſtylo non carere, ubi opus eſt; ſed venuſtatem peregrini ſermonis translationem in aliam linguam non pati: caeteroquin librum Jſaiae, & Epiſt. Pauli* ab Heb. *Hebraicae locutionis flores eſſe. Conſentit Auguſtino jam citato Adnotatione XII., quae hanc ordine praecedit.*

Adnotatio *XXX.* reſp. n. LXIV.

Potuiſſet, & M. Tullium citare, qui lib. 2. de Oratore *ait: antiquos Graecos, & Romanos Hiſtoricos de narrationis veritate tantum ſollicitos, ornatu oratorio abſtinuiſſe, ac ſimplici, & plano ſtylo uſos fuiſſe. Sic Hiſtoriam ſcripſiſſe tradit ex Graecis Phaerecidem, Hellanicum, Acuſilam, quos imitati ſunt ex Romanis, Pictor, Cato, & Piſo antiquiores Hiſtorici rerum Romanarum: additque:* hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt. *Exiſtimare poſſemus, ſi conſtaret, Graecos iſtos, & Romanos Hiſtoricos antiquiores ſacram Hiſtoriam perluſtraſſe, Hebraeos hiſtoricos imitari voluiſſe. Potuiſſet etiam adducere Quinctiliani locum ex lib. 9. Inſtit. cap. 3. in fine, ubi ait:* ubicumque ars oſtentatur, veritas abeſſe videtur.

Q. MO-

Q. MODERATI CENSORINI

DE VITA, ET MORTE LATINAE LINGUAE

DISSERTATIO IV.

Exponitur *Cenſorini* Judicium de Joannis Georgii Valchii *Hiſtoria Critica Latinae Linguae* Colloquio quodam cum Sodalibus nonnullis, qui ei, ex proximo pago Ferrariam reduci, officioſe occurrerunt, habito.

MATTHAEUS AIMERICH

HIERONYMO FERRIO V. CL.

Eloquentiae, & Antiquitatis in publico Ferrarienſi Gymnaſio Profeſſori S. & F. P.

S*Cire cupis ex me, Vir Humaniſſime, quid ſentiat* Q. Moderatus Cenſorinus de Hiſtoria Critica Latinae linguae *Joan. Georgii Valchii, quam rogatu meo ei legendam commodaſti: non male exiſtimans* Q. Moderati Cenſorini *ſenſa, non minus, quam mea, mihi cognita, atque explorata eſſe. Ut votis tuis ſatisfaciam, mitto ad Te* Diſſertationem Cenſorini, *in qua judicium ſuum de lecta a ſe praefata Hiſtoria, cum Sodalibus aliquot ſuis colloquendo, expromit. Interea Tibi gratias, & meo, &* Cenſorini *nomine, quas poſſum maximas, ago pro beneficio eidem mei gratia praeſtito, ac D. O. M. enixe precor, ut Te diutiſſime incolumem ſervet bono Latinarum litterarum, quas mirifice ſcriptis tuis illuſtraſti, & illuſtras. Vale. Ferrariae Non. Junii An. Salutis* CIↃIↃCCLXXX.

§. I. CErtiores effecti *Cenſorini* Sodales a Puero, ei miniſtrante, quem forte per Urbem diſcurrentem invenere, Hiſpanum in proximo pago aegrotantem melius habere, & *Cenſorinum* poſtera die domum noctu re-

di-

diturum, obviam illi ire eorum nonnulli decreverunt. Quod cum feciſſent, per S. Benedicti portam Ferraria egreſſi, illi in medio itinere occurrerunt. Ad quem cum, citato gradu, acceſſiſſent, & ex eo poſt ſalutationem, inquiſiviſſent de aegrotantis valetudine: poſt actas item illi gratias omnium ſodalium nomine pro lecta paucis ante diebus Diſſertatione, quam ante diſceſſum ſcriptam reliquerat; animadvertentes, librum in manibus eum geſtare. Mirum nobis eſſet, inquit *Hiſpano-Luſitanus*, ſi te ſine libro inveniremus. Cui *Cenſorinus*: Ego ſine comite iter facere non conſuevi. Attuli mecum Ferraria hunc librum, mihi commodatum a viro humaniſſimo D. Hieronymo Ferrio, inſigni eloquentiae, & antiquitatis in publico gymnaſio Ferrarienſi Profeſſore, quem legi hiſce diebus, poſt diurnas preces, cum aeger vel dormiret, vel requieſceret, vel a colloquio abſtinere vellet. Quid operis? Inquit *Hiſpano-Luſitanus*, & quiſnam Auctor, ſi ſcire licet? Cui *Cenſorinus*: Opus eſt *Hiſtoria Critica Latinae linguae*. Auctor Joan. Georgius Valchius, cujus ne nomen quidem audieram. Et ſane id operis magno mihi adjumento fuiſſet, ac bonam laboris partem mihi ademiſſet, vel ut verbis Plauti utar, *degiſſet*, *atque diminuiſſet*, indicatis Auctoribus, quos conſulere potuiſſem, ſi ante lucubratas, vel inter lucubrandum Diſſertationes, quas, vel legiſtis, vel audiviſtis, *de Vita*, *& Morte* Latinae linguae, illud legere mihi contigiſſet.

§. II. In hac quippe Hiſtoria oſtendit ſe Valchius Criticum valde eruditum, & multae lectionis. Cui *Hiſpano-Americanus*, alter ex ſodalibus: ut hanc Hiſtoriam texeret, inquit, multa eum legiſſe oportebat, libriſque abundare, tum veterum, tum recentium Scriptorum. Innumeri namque hoc argumentum, ſive hanc, ut ajunt, Spartam ornarunt: innumeri item, qui Latine ſcripſerunt, alii emendata, alii minus accurata, & caſtigata, alii etiam barbara Latinitate: de quibus neceſſe erat judicium ſuum Latinae linguae Criticum Hiſtoricum proferre, ſal-

tem

tem de inſignioribus in utroque Latinitatis genere, eorumque ſcripta Critolai libella ponderare.

§. III. Idipſum praeſtitit Valchius, inquit *Cenſorinus*, in hoc Opere: quamquam non omnes inſigniores indicaverit. Nec deerunt, qui mirentur, Valchium inter Latinos ſcriptores elegantiores, vel inter eos, qui antiquos Latinos aureae, & argenteae aetatis illuſtrarunt, mentionem non feciſſe (*) quorumdam Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Germanorum, Belgarum, Anglorum, Sarmatarum, qui proculdubio magis illuſtrarunt, vel ſoluta, vel metri legibus adſtricta Oratione, Latii ſermonem, quam multi ex illis, quos cum laude refert. Verum non omnes potuit recenſere, brevitati conſulens: & in his, ut in rebus aliis, quot homines, ut ajunt, vel potius quot Critici, tot Sententiae. Interea gaviſus ſum, me, licet libris deſtitutum, quibus ſitim meam hac in parte reſtinguerem, in plures fontes incidiſſe, ex quibus Valchius aquas hauſit ad ſuos agros irrigandos. Gaviſus ſum etiam, quod non ſemel in his, quae hiſtorice tradit, mihi faveat; licet in aliis in oppoſitam meae ſententiam eat.

§. IV. Jam quid ſentit Criticus iſte, inquit *Polyhiſtor* de Vita, & Morte Latinae linguae, de quibus tu copioſe in Diſſertationibus diſputaſti? Cui *Cenſorinus*, (repetito tantiſper intermiſſo itinere) in toto, inquit, Opere de Latina, tamquam de mortua lingua differit, & putat interiiſſe hominum inertia poſt Carolum Magnum, ac ſeculis praeſertim IX. X. XI. uſque ad inſtauratas litteras ita extinctam, ut ne veſtigium quidem fere illius reſtaret, eoſque, qui in Italia, Gallia, Germania, Anglia eruditi videri volebant, nec legere, nec ſcribere, & multo minus loqui Latine potuiſſe: & ſeculo IX. non fuiſſe, qui flectere, aut componere apte vocabula Latina ſcirent.

§. V. Si haec tradit Hiſtoricus iſte, non tantum afflicta, & aegra valetudine, inquiebat *Polyhiſtor*, multiſque incommodis affecta erat Latina lingua, quod tu in altera ex Diſſertationibus fatebare; ſed mortuam, imo ad nihilum redactam arbi-

bitratur: nam mortuorum veſtigia ſaltem aliqua ſuperſunt.

§. VI. Quod ſi mortua; illi ſaltem juſta perſoluta, & ſepulturae honor cum Latino Epitaphio non negatus: quod, ut puto, non praetermiſit Hiſtoricus, Latinae linguae Hiſtoriam ſcribens. De his, inquit *Cenſorinus*, ne verbum quidem in hac Hiſtoria. Ac per Deum immortalem! A quo tandem Epitaphium illud, vel factum, vel inſcriptum Latinae linguae ſepulchro? Non a barbaris, qui eam vel oderant, vel ignorabant, vel de ea non curabant: non ab illis, qui inertia ſua, atque ignavia ſiverant, eam efflare animam: non ab illis demum, qui eruditi videri volebant; cum hi nec legere, nec ſcribere, nec apte componere vocabula ſcirent. Poterat, repoſuit *Polyhiſtor*, ipſa ante mortem Epitaphium jam inciſum lapidi ſuo ſepulchrali relinquere, quod Naevium Campanum Poetam feciſſe nuper dixiſti, arbitratum Romae poſt ipſum, vita functum, neminem Latine loqui ſciturum.

§. VII. Sed ludos mittamus. Forſitan Valchius hyperbole uti voluit ad ſeculorum barbariem, & inſcitiam indicandam. Et revera ſecula illa non a Valchio tantum, ſed ab omnibus Hiſtoricis barbara appellantur, ob bonarum Artium, & diſciplinarum neglectum, qui omnibus Europae Provinciis, ſi Graeciam excipias, communis fuit. Notum quippe eſt, Barbaros non Occidentales modo Romani Imperii Provincias devaſtaſſe, ſed magnam inſuper Artibus ingenuis, & diſciplinis perniciem, & cladem intuliſſe. Nec enim in homines, tantum in urbes, & pagos ſaevierunt, ſed etiam in libros, & ſcripta, quae poterant invenire. Ac vix jam unus aliquis erat, qui diſciplinis navaret operam, cum Reipublicae ſalus in armis eſſet: adeo, ut Clerici, & Epiſcopi cum ſtipendiariis ſuis armati in aciem (in Hiſpania ſaltem) invadentibus Mauro-Arabibus eas regiones, prodirent. Et Auctor Hiſtoriae Epiſcoporum Barcinon. ſub titulo: *Nomina, & Acta Epiſcoporum Barcin.* tradat, nonnullos Cataloniae Epiſcopos in bello contra Mauro-Arabes, vel occiſos, vel graviter ſaucios ex pugna evaſiſſe.

Nar-

§. VIII. Narrat etiam, Barbaros, Cataloniam invadentes, Bibliothecas, & Archivia cum libris, & ſcripturis incendio corrupiſſe; tantamque tempore Giſlaberti Epiſcopi Barcinon. ſeculo XI. fuiſſe librorum penuriam in Eccleſia, cui praeerat, ut, conſentientibus Canonicis, vendiderit agrum, & domum Eccleſiae cuidam Levitae, non alio pretio, quam duorum librorum Artis Grammaticae Priſciani. Quod facere ſe, ait in Inſtrumento, in quo Giſlabertus ſe venditorem appellat, compulſum maxima, qua laborabat Eccleſia ſua librorum Grammaticae neceſſitate, agnoſcens, & commendans eorum utilitatem.

§. IX. Neſcio, inquiebat *Hiſpano-Americanus*, an haec vocanda ſit venditio, magis quam emptio: nam videtur, Epiſcopum, & Canonicos emiſſe a Levita libros Priſciani non minori pretio, quam domus, & agri: hocque oſtenderunt, quanti facerent libros illos, ac Latinitatem non neglexiſſe, quandoquidem Latinitatis canones tanti emebant. Ego, inquit *Technophilus*, qui adhuc ſiluerat, quando litem de voce moves, & hic te angit ſcrupulus ad Jus ſpectans, nec venditionem, nec emptionem contractum illum appellarem, ſed Permutationem: cum dare rem pro re ſine pecuniae interventu Permutatio apud Juriſconſultos dicatur.

§. X. Nihil refert, ſit ne Permutatio, an Emptio, aut Venditio vocandus contractus ille, repoſuit *Cenſorinus*: neque Tabelliones illius aevi hos Juris apices, uti vos, obſervabant. Legi etiam ego in Hiſpania Hiſtoriam, quae haec narrat, quam *Epiſcopologium Barcinonen.* appellant a M. A. (cui debeo, quod Valchii *Hiſtoriam Criticam Latinae linguae*, ab erudito Ferrio commodatam legerim) juſſu Epiſcopi Barcinonenſis Saleſii ſcriptam, & hujus expenſis typis editam. Quo in Opere plura afferuntur ad Eccleſiaſticam, ac Civilem Cataloniae, & Galliae Gothicae Hiſtoriam ſpectantia, rejectis fabulis, quae illarum Provinciarum Annales obſcuraverant, multiſque dubiis narrationibus ad Chronologiae, & Hiſtoriae Criticam rationem

re-

revocatis. Legi, inquam, & relegi Hiſtoriam illam, ac ex eadem haud indiligenter ſcripta, colligere licet, neque tantam, neque tam generalem fuiſſe ignorantiam, & neglectum Latinae linguae in Europa, quantam Valchius perſuadere conatur.

§. XI. Audieram de hoc Opere in America, inquiebat *Hiſpano-Americanus*, quod complures medii aevi antiquitates, ad Hiſpaniam, & maxime ad Cataloniam, ſpectantes dicitur continere, uti etiam plura de militaribus geſtis Catalanorum adverſus Mauros, deque illorum militari virtute, qua brevi Africanos illos hoſpites ſuos, a Cataloniae finibus expulerunt, eiſdemque multa clade affectis plura regna eripuerunt. Sed cum nos ex America ſolvimus, nondum illuc pervenerat, quod ſciam. Si Ferrariae inveniretur, illud haud invitus legerem, cum ejuſdem Auctoris ſit, cujus ſunt *Proluſiones Philoſophicae*, quas avide in America legebamus. Ne vero vobis mirum ſit, me de rebus Cataloniae cognoſcendis eſſe ſollicitum, ſcitote, me in America natum, & educatum, origine Catalanum eſſe.

§. XII. Audieram etiam, cum in Hiſpaniam appulimus, relictam Mantuae Carpetanorum *Hiſtoriam Naturalem Cataloniae*, praelo paratam, ab eodem Auctore ſcriptam, ac diſtributam in tria regna Chimica Naturae, Foſſilium nempe, Vegetantium, ut vocant, & Animantium. In ea autem, ut mihi narravit Auctoris amicus, qui eam legerat, praeter enumerationem ſylvarum, fluminum, lacuum, portuum, fontium tum aquae communis, tum ſalſae, & ſulphureae natura calidae: *thermalis* (*a*) nempe, ac medicinalis: praeter recentiorem, & antiquam Provinciae illius topographiam (*) cum diviſione, & nominibus tractuum, cum praeſentium, tum antiquorum (quos quidem variis antiquis Romanorum Inſcriptionibus ſuis in locis repertis, ac priſcorum Geogra-

(a) *Seneca in QQ. NN.* Sudatorias *appellat aquas thermarum, & thermas* Sudatoria.

graphorum,&Hiſtoricorum teſtimoniisAuctor indicat,& confirmat): praeter haec, inquam, omnia, multa de frugum proventibus, de artefactis innumeris manuariis, de terreſtri, & maritimo Catalanorum commercio, de monetarum priſcarum nominibus, & valore, de antiqua, & praeſenti forma regiminis Cataloniae, ut etiam ſingularia, & notabiliora, ſive ſacra, ſive profana, quae Provincia illa continet, exponuntur, non omiſſo Poetarum Latinorum, Hiſpanorum, & Italorum ornatu, ac additis Diſſertationibus nonnullis, res naturales, hiſtoricas, & oeconomicas Cataloniae illuſtrantibus; quae omnia libentiſſime legerem, ſi typis mandarentur, ut plenius cognoſcerem Provinciam, unde oriundus ſum.

§. XIII. Cui *Technophilus*: Neſciebam, tot, ac tam varia in ea Hiſtoria contineri. Optandum eſſet, eam typis mandari cum Auctoris nomine, ne otioſus quiſpiam, & plagiarius ex furtivis floribus ſibi laudis coronam texat: vel potius, ne AEſopi Graculum imitatus plumis alienis veſtiatur. Sed forſitan Vir Cl.DD. J. Santanderius, Regiae Bibliothecae Praefectus doctiſſimus, manuſcriptum collegit, & in Regiam Bibliothecam intulit; quo fiet, ut, eo ſaltem ſuperſtite, qui novit proculdubio, cujuſnam ſit Opus illud, nemo audeat furaces manus in illud mittere. Si Hiſtoria illa, addidit *Polyhiſtor*, tot, ac tam varia complectitur, ut dixit *Requeſenſius* (hoc erat nomen Hiſpano-Americani) poterat Auctor inſcribere Opus illud: *Hiſtoria Naturalis, Oeconomica, & Artificialis, ſive Artificioſa Cataloniae*. Sed melius eſt, multa praeſtare, & pauca promittere, quam multa promittere in titulo Operis, & pauca dare. Ex iſta, ſi typis mandaretur, & ex illa Hiſtoria, inquiebat *Cenſorinus*, ad *Hiſpano-Americanum* converſus, plura de Cataloniae rebus, & antiquis ejuſdem monumentis cognoſcere poſſes: quandoquidem tu notitia Cataloniae rerum adeo delectari videris: proculdubio, quia in America plures ex illa Hiſpaniae Provincia de Catalonia loquentes, vel milites, vel negotiatores audiviſti, & ex illuc aſportatis pulcher-

cherrimis artefactis a Catalanis, homines eos, ex quibus originem ducis, gnavos, & induſtrios eſſe non falſo exiſtimaſti.

XIV. Praeſertim vero ex Opere illo *de Epiſcopis Barcinon.* (ut in viam redeamus, a qua nimium digreſſi eramus propter tuam Cataloniam) intelligeres etiam, quam immerito ignorantiae tenebras illas, pluſquam Cimmerias, in Italia, Gallia, Germania, Anglia poſt Carolum M. Valchius adſtruxerit. Si enim in Catalonia, & Gallia Gothica, quae non Gothorum ſolum, & Alanorum, ſed & Arabum incurſionibus afflictae fuerunt, non ea fuit ignorantia, non ille Latinae linguae neglectus, & aliarum Diſciplinarum in Clericis, & Epiſcopis, quem depingit Valchius, qui proboſae ignorantiae eos inſimulat; recte argumentari licet, in provinciis, & regnis aliis, quae tot Barbarorum incurſionibus obnoxiae non fuerunt, nec tandiu ſub eorum poteſtate, & tyrannide gemuerunt, eas tenebras, & neglectum Diſciplinarum non ita Clerum occupaſſe, ut nec legere, nec ſcribere, nec loqui Latine potuerint, qui eruditi videri volebant, poſtquam Caroli M., & Ludovici Pii virtute fuerunt a Barbarorum jugo liberata. Quod ſane magis apparebit, ſi meminerimus, Carolum, accerſitis ex Anglia, & Scotia, quo ſe Diſciplinae receperant, viris doctis, varias ſcholas erexiſſe, in quibus Populorum ſibi ſubditorum juventus erudiretur.

§. XV. Jam vero in Catalonia, & Gallia Gotthica non eam invaluiſſe ignorantiam, quam Valchius a ſaeculo IX. ad inſtauratas litteras depraedicat, oſtendi facile poſſet ex variis Epiſcoporum conventibus, per ea ſaecula ibi celebratis ad conſtabiliendam diſciplinam, & errores exſtirpandos: ex variis templorum conſecrationibus, ſolemni ritu actis: ex variis Latinis inſtrumentis donationum Eccleſiis, & Monaſteriis factarum: ex variis Principum diplomatibus, ex variis Latinis Inſcriptionibus: ex aliis demum monumentis, per ea barbara ſecula Latino ſermone exaratis (*): in quibus veſtigia ſaltem apparent purae Lati-

ti-

tinitatis : in quibus item cerni poteſt , per ea tempora , tum Laicos, tum etiam Clericos,& Epiſcopos extitiſſe, qui de Latinis litteris cogitabant, ac eos, qui eruditi videri volebant, & legere, & ſcribere, & loqui Latine potuiſſe; atque adeo , & flectere , & componere apte Latina vocabula non neſciviſſe.

§. XVI. Quid ad haec Valchius ? inquiebat *Hiſpano-Americanus*, plane neſcio: ſed forſitan diceret, ſe hanc ignorantiam non attribuiſſe Hiſpanis, ſed Italis, Germanis, Anglis, & Gallis extra Galliam Gothicam degentibus. Verum eſt, inquiebat *Cenſorinus*, Hiſpaniam a Valchio non nominari, cum de hacce ignorantia, atque neglectu Latinae linguae loquitur. Non quod putaret, ab hac mentium caligine immunem fuiſſe Hiſpaniam; ſed quia de illa nullum eſſe dubium poterat, cum illic Barbari per plura ſecula domini rerum fuerint , quam in aliis Europae regionibus, ea ignorantia notatis.

§. XVII. Si enim in aliis regnis tanta ignorantia vigebat, & Latinae linguae neglectus; pronum eſt conjicere, non minorem in Hiſpania viguiſſe, praeſertim, cum non conſtet , contra ignorantiam litterarum praeſidia a Carolo M., aut ab alio, in Hiſpania conſtituta, fundatis Academiis , miſſiſque viris doctis , qui Hiſpanos erudirent . Quod beneficium praeſtitum a Carolo fuit Italis fundando Academias Ticinenſem, & Bononienſem, Gallis fundando Pariſienſem , & Germanis , vel erigendo monaſteria, vel Monachis praecipiendo, ut doctiores in eis ſcholas haberent, ac in ſuo Palatio alendo Eginhardum, Alcuinum, & alios viros doctos, qui Palatinos, & Germanam juventutem, praeſertim nobilem , ſcientiis , ac Diſciplinis ingenuis inſtituerent.

§. XVIII. Hoc unum debet Navarrae Regnum Carolo in Hiſpania, uti etiam Catalonia, quod Pampelonam, ſive Pompeiopolim Mauris eripuerit, & Chriſtianis Cataloniae incolis per ſe , & per Ludovicum filium ſuppetias tulerit, ad Mauros ex tractu Gerundenſi, & Barcinonenſi

expellendos, ac Barbarorum jugum in illis regionibus excutiendum.

§. XIX. Ego exiſtimo, inquiebat *Phronimus*, Valchium nunquam arbitratum fuiſſe, eam invaluiſſe ante Carolum M., & hujus aetate, in Europae provinciis ignorantiam, & Latinae linguae neglectum, qualem poſt eum fuiſſe Hiſtorici narrant. Etenim ante Carolum, etiam Barbaris dominantibus poſt Honorium, magna ingenia ubique floruerunt, qui ſatis pura Latinitate ſcribere poterant, pluraque tum verſu, tum proſa ſcripſerunt, licet nonnullis Eccleſiaſticis vocabulis uti voluerint, ſtylo Eccleſiae ſe accomodantes, & ab Ethnica ſuperſtitione hoc pacto magis recedentes.

§. XX. Quin imo Carolus ipſe variis Diſciplinis excultus traditur, ac non Latinae ſolum, ſed & Graecae linguae peritus a Petro Piſano edoctus dicitur, idemque adeo lectioni deditus, quantum illi negotia, & bella permitterent, ut noctu ſub cervicali libros S. Auguſtini *de Civitate Dei* eruditiſſios haberet, quos legere ſolebat, cum a ſomno excitabatur. Compoſuiſſe etiam, praeter nota Capitularia, Opera alia, inter quae, lucubratio de Arte Grammatica recenſetur (*). Conſtat praeterea litteratis non parum faviſſe; quod etiam praeſtitere Ludovicus Pius, & Carolus Calvus, ejus in Imperio proximi ſucceſſores; quae omnia ſtimulos addere poterant pluribus ad litteras excolendas, aut non omnino negligendas: cum Regum ad nutum, & exemplar, ut dici ſolet, orbis componatur.

§. XXI. Haec probant, inquit *Cenſorinus*, parum conſiderate Valchium ſequutum nonnullos ſcriptores aevi longe poſterioris, & remoti ab aetate Caroli, ſcripſiſſe, non multum curaſſe Carolum de promovendo cultu Latinae linguae, licet de inſtaurandis ſuperioribus diſciplinis, quae labectatae erant, multum curarit. Quis enim imperitus adeo rerum eſt, qui neſciat, Diſciplinarum omnium fundamentum, in Occidenti praeſertim, & Septentrione, ubi Graeca non vigebat lingua, Latinam fuiſſe? Et qui, amabo, poterat Carolus eas inſtaurare Diſciplinas, Philoſo-

phiam

phiam dico, Theologiam, Medicinam, Jus Civile, & Canicum, ſi Latinitatis ſcholas neglexiſſet? Unde ſcientias illas, & Diſciplinas haurire potuiſſent, & Magiſtri, & Diſcipuli, niſi ex Latinis libris, qui Barbarorum incurſionibus, & incendiis, ab eiſdem in pagis, & urbibus excitatis, non perierant? Et quonam tandem pacto ex illis haurire potuiſſent doctrinam, atque praecepta, in illis tradita, ſi Latinae linguae, qua ſcripti erant, expertes fuiſſent? (*)

§. XXII. Si dixiſſet Valchius, diligentiae, & conatibus Caroli circa cultum, & inſtaurationem Latinarum litterarum ſucceſſum per omnia non reſpondiſſe; cum Valchio ſentirem: at Carolum in votis non habuiſſe, & non valde conatum Latinarum litterarum inſtaurationem mihi nunquam perſuadebit.

§. XXIII. Hactenus dicta oſtendunt temporibus Caroli M. ſive ſeculo VIII., & initio IX. eo in ſtatu fuiſſe Diſciplinas ingenuas, & Latinam linguam, in Italia praeſertim, Gallia, Germania, ut inveriſimile ſit, ſtatim intra ipſum ſeculum IX. Provincias illas tanta ignorantia, quantam ponit Valchius, laboraſſe: multo minus in Anglia, ubi manebant Bedae, omnibus ſcientiis, & artibus ingenuis inſtructiſſimi, Diſcipuli, quo item Barbari nondum penetraverant. Et vero Caroli M. aetate, ſeculo praeſertim VIII., & IX. initio viros doctos, & Latinae linguae peritos extitiſſe, nemo dubitat. Nam, praeter Bedam, & Alcuinum Bedae Diſcipulum, floruere Paullus Diaconus, Petrus Piſanus Caroli M. Magiſter, Poeta Saxonicus, Theodulphus Aurelianenſis, Fredegiſus Diaconus, Leo III. Pont, Maximus, Monachus Egolimenſis, qui Vitam Caroli M. ſcripſit, Teganus, qui Vitam Ludovici Pii: ut mittam alios, & nihil dicam de Conciliis Generalibus, Nationalibus, Carolo regnante, ſub Romanis Pontificibus Adriano I., & Leone III. habitis, quibus interfuerunt Epiſcopi non indocti, qui errores Felicis, Elipandi, & Claudii Taurinenſis damnarunt, ac Eccleſiae diſciplinam inſtaurare ſtuduerunt.

§. XXIV. Si opus eſſet demonſtrare, in bono ſtatu, licet non in optimo, fuiſſe Latinitatem per ea tempora, & ejuſdem cultores non defuiſſe, afferrem plura ex Beda, ex Eginhardo, ex Paullo Diacono, & Alcuino, ex Poeta Saxonico, ex Theodulpho, ex ipſo Carolo M., quae non neglectam, ſed ſatis excultam a nonnullis Latinitatem in ſeculo VIII., & initio IX. indicant. Non nos latet, inquit *Polyhiſtor*, eos, quos tu citaſti Bedam, Eginhardum, alios, ſatis accurata uſos Latinitate: de uno Carolo M. dubito, & vellem documentum aliquod produceres cultae a Carolo Latinitatis; nam non putabam, hunc Principem Latinam linguam excoluiſſe, licet optarit, eam in Academiis inſtaurari: & audivi, nonnullos Germanos in ea eſſe ſententia, ut credant, eum de Teutonica magis lingua ornanda, & promovenda, quam de Latina ſollicitum fuiſſe.

§. XXV. In medium afferam, inquit *Cenſorinus*, Latina nonnulla ex Carolo M. ut tibi morem geram. Cum Ludovicum Filium, an. Octingenteſimo Chriſti, Socium Imperii creavit Aquiſgrani in templo B. Virginis, a ſe erecto, hac formula uſus eſt: *Accede Ludovice, & coronam capiti tuo, non dignitatis ſolum ornamento, ſed regnis etiam noſtris, & Reipub. Chriſtianae praeſidio, laetus impone, & mecum una, auſpicatis poſt hac conſiliis, moderare*. Elegantiſſime, inquit *Hiſpano-Americanus*, & ſi licet ita loqui, *Latiniſſime*. Vis aliud, inquit *Cenſorinus?* Cui *Phronimus*: audiemus perlibenter; nam Virorum magnorum res, etiam minimas, ut ait Tullius, noſcere juvat.

§. XXVI. En vobis aliud, inquit *Cenſorinus*, paris elegantiae, & Latinitatis. Cum Eccleſiae remiſit jus eligendi Epiſcopos, ei, & ſucceſſoribus conceſſum a Rom. Pontificibus, ob beneficia Eccleſiae praeſtita, & ejuſdem ſuſceptam protectionem, hanc legem ſuo, & Ludovici nomine condidit: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Dei Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum Eccleſiaſtico Ordini praebemus, ut Epiſcopi per electionem Cleri, & populi, ſecundum Statuta Canonum de propria*

Dioe-

Digitized by Google

Dioeceſi, remota Perſonarum, & munerum acceptione, ob vitae meritum, & Sapientiae donum, eligantur, ut, exemplo, & verbo, ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant. Papae! inquit *Technophilus*: haec aurei, vel argentei ſaltem ſeculi videntur: ac piiſſimus Imperator non ſe Latini ſermonis ſolum, ſed & Canonum, & antiquae Diſciplinae Eccleſiaſticae peritum prodit. Sunt ne alia? Si memoriae confiderem, reſpondit *Cenſorinus*, poſſem recitare extemporalem Caroli Allocutionem ad Scholares nobiles, & ignobiles Academiae Pariſienſis, quos, regente Academiam quodam Clemente, ad ſe vocavit, ut profectum eorum in litteris per ſe ipſe agnoſceret. Verum quaſſata annis jam memoria, & longa deſidia promittere non poſſum, me illam fideliter Caroli Orationem vobis redditurum. Conabor nihilominus in memoriam revocare perorationem, ſeu clauſulas, quibus finem impoſuit Alloquutioni.

§. XXVII. Refer ſaltem, ſi tibi grave non ſit, inquit *Technophilus*, factum hiſtoricum, quod Caroli curam, & conatum in promovendis diſciplinis nobis oſtendat; & verba Caroli, quae mente retines, ne nobis invideas. Cui *Cenſorinus*: factum hiſtoricum facilius eſt vobis denarrare, quam Caroli Allocutionem fideliter recitare. Si ego *Phronimi*, aut *Polyhiſtoris* reminiſcendi vi pollerem, vel Artem memoriae didiciſſem; poſſem vobis integram Caroli Allocutionem referre; aſt cum, neque eorum, quos dixi, memoria valeam, nec Artem memoriae didicerim (cum magis ſemper optarim diſcere Artem obliviſcendi) neceſſe erit, vos nuda facti narratione, & poſtremis Allocutionis Caroli verbis ad Scholares nobiles, contentos eſſe. Vocavit ad ſe, ut jam dixi, Scholares Pariſienſis Academiae Carolus, & ex eorum penſis, & reſponſis agnoſcens, ignobiles ſtrenuam, nobiles autem ſegnem operam in ſtudio litterarum poſuiſſe; laudavit ignobilium diligentiam, illis, & pinguia beneficia, & Abbatias, & Epiſcopatus promittens: inertes autem nobiles, poſtquam eos ingenioſo ſarcaſmo uſus, & divites, & formoſulos, & nobiles,

& Summatum filios, & delicatos appellaſſet, illiſque exprobraſſet, quod donis illis confiſi, atque inflati, inertiae, ludis, luxui, & vanis exercitiis indulſiſſent, litterarum gloriam, & placitum ſuum contemnentes; minaci vultu in eos intuitus, ſic peroravit: *Per Regem Coelorum non ego magnipendo nobilitatem, & pulchritudinem veſtram, licet alii vos admirentur. Et hoc proculdubio ſcitote, quod niſi cito priorem negligentiam vigilanti ſtudio depoſueritis, apud Carolum nihil boni adquiretis.* Si Ferrariae invenirentur Annales San-Gallenſes (quod ignoro) ad eos vos mitterem, ut factum iſtud Caroli legeretis.

§. XXVIII. Quamvis minus accurata Latinitate, ajebat *Hiſpano-Americanus*, in extemporali Oratione uſus fuiſſet Carolus, ac unum, aut alterum vocabulum Latinum minus proprium uſurpaſſet, haec ſatis indicant, Carolum Latinae linguae peritum fuiſſe, & linguae Latinae cultum non neglexiſſe. Indicant praeterea ſeculo VIII., & IX. in cujus initio ſaltem uſque ad XIV. annum vivebat Carolus, non tantam barbariem, ac Latinarum litterarum neglectum, quantam ſibi perſuaſit Valchius, Italiae, Galliae, & Germaniae superveniſſe: & valde miror, Valchium, Criticam Hiſtoriam ſcribentem, ad haec non advertiſſe animum, & ea, quae tu narras, aſſeruiſſe. Recte tu, & prudenter, inquit *Cenſorinus*. Ne vero veſtrum quiſpiam arbitretur, me aliquid Valchio affinxiſſe, adnotatum habeo locum Valchii in Hiſtoria, & illum legam, vel ſi vobis placet, illum legite, ut teſtes oculati, & auriti ſitis dictorum Valchii, eumque non joco, ſed ſerio affirmaſſe, quae dixi, de ignorantia, quae ſeculo IX. ad inſtauratas litteras poſt Carolum M. in Occidentis Provinciis regnavit.

§. XXIX. Legemus nos, inquit *Technophilus*, ne tu relegendo jam lecta fatigeris: non quod tibi narranti non credamus, ſed, ut Valchii Latinitate oblectemur, nam indicaſſe videris, tibi eam probari. Ita eſt, inquit *Cenſorinus*: Latinitas Valchii eſt ſatis pura, elegans, & perſpicua:

ejus

ejus Critice in tota fere Hiſtoria commendabilis: ejus eruditio non vulgaris. Nec mirum vobis eſſe debet, quod in longo opere nonnunquam dormitet, nec eum e ſomno excitarem, ſed ſinerem etiam ſtertere, niſi vidiſſem eum in Epiſcopos, Clericos, & Monachos, quibus debemus ſervata pretioſa Latinitatis, & Diſciplinarum priſca monumenta, delirare. Dixi de Latinitate Valchii, mihi eam probari; at ſcitote, heic vos lecturos aliorum Latinitatem, magis Geticam, quam Romanam, quaeque vobis forſan, aut ſtomachum, aut bilem movebit. Ego legam, inquit *Hiſpano-Americanus*, ſi vobis videtur; nam ſum ſatis valido ſtomacho, &, cum laboribus ſim aſſuetus, non facile *jecur meum uret bilis*. Ut libet, inquit *Cenſorinus*, en tibi librum, & locum hac philyra indicatum. Tunc *Hiſpano-Americanus*, accepto libro, indicatum, inquit, locum teneo, & jam lego: audite. Avidiſſime, & auritis auribus audiemus, inquit *Phronimus*, nec ſurdis canes. Verum mitte narrationem, quam forſiſitan praemittit Valchius invaſionis Oſtro Gothorum, Wiſigothorum, & Longobardorum, & ad Caroli M. tempora accede, cum is Longobardorum regnum, expulſo, & demum capto Rege Deſiderio, armis occupavit. Inde, repoſuit *Cenſorinus*, locus incipit, quem legendum deſignavi, ne lectio nimis longa vobis faſtidium crearet.

§. XXX. Sic habet locus, inquit *Hiſpano-Americanus*: *Tempore Caroli M. ſplendida lux Latinis litteris non oborta eſt, qui majorem curam Germanae linguae ornandae, quam Latinae habebat* ::: *Gerhardus Joan. Voſſius*, Praef. libri de Vitiis Sermonis: *Carolus M. variis in locis ſcholas erigendo praeclare eſt meritus de ſtudiis univerſis: melius tamen de rerum doctrina, quam lingua Romana*. At ſaltem, interpellavit *Technophilus*, Carolus praeclare fuit meritus etiam de Latinae linguae ſtudiis ſecundum Voſſium, cum de univerſis ſtudiis praeclare meritum eum affirmet. Perge: *Quae Latini ſermonis conditio*, continuavit *Hiſpano-Americanus* legens, *quoſdam in eam adduxit ſententiam, ut crediderint, Eginhardum Vitae illius Caroli M. non genuinum eſſe Auctorem, cujus*

jus Latinitas Genium ſeculi illius non probat . Lege Voſſium Opere de Hiſtoricis Latinis, & elegantiſſimam Diſſertationem Schminckii de Eginhardo. *Poſt Carolum M. inertia hominum magis ac magis crevit, nec quiſquam de Latinis litteris excolendis, ornandiſque cogitavit. Nulla ferme apparuerunt amplius Latinitatis purae veſtigia: ſeculis ergo, quae ſubſecuta ſunt, nono, decimo, uſque ad inſtauratas litteras, prout in Italia, ſic in aliis regionibus, Gallia, Germania, Anglia adeo concidit Latinitas, ut qui videri volebant eruditi, vix legere, nedum ſcribere, aut loqui potuerint. Seculo jam tum IX., Presbyteri neceſſe habebant, conſtituendos Epiſcopos interrogare*, utrum Evangelia legere poſſent. *Per hoc tempus tanta fuit ignorantia, ut nec flectere, nee componere apte vocabula ſcirent.*

§. *XXXI. Tempore Zachariae Papae in Boiaria fuit Sacerdos, qui Religionis Chriſtianae Candidatos his verbis inſtravit: Baptizo te in nomine & Patria, & Filia, & Spiritus Sancta. Vide Aventinum Ann. Bojorum. lib. 3. p. 220. Quum Philippus II. Rex Hiſpaniae ſub duce Albano in Belgio concilium ſanguinis inſtitueret, praeſes quidam ejus Dominicanus, nomine Vargas, protulit hunc ſyllogiſmum*: Haeretici fraxerunt Templa; boni nihil faxerunt contra: ergo debent omnes patibulare. *Belgis vero urgentibus ſua privilegia, itidem reſpondit*: Nos non curamus veſtros privilegios. *Lege Hornium in* Orbe Pol. p. 138., *Lanſium contra Hiſpanos p. 391. Abbas quidam ad Fratres Monaſterii ſui ita quondam ſcripſit*: Fres, Fres: vos multum foratis, vos ad multum potatis: haec res in longum non faciet bonum. *Sutori cuidam teſtamentum condiderat Sacrificulus Anglus his verbis:* in Deus nomine Amen. Deus animam, corpus terram: bos ſuper Eccleſiam, altare vitulus, & tibi tritulus, reliquis, & reliquus intus, & extra uxor, & filia.

§. *XXXII.* Hic potes, inquit *Cenſorinus* finem legendi facere, nam quae ſequuntur ſunt repetitio praecedentium verbis aliis. Finem facio libentiſſime, inquit *Hiſpano-Americanus*, nam jam ſudor *ad imos talos manabat*, non tam

pul-

pulverulentae, & aeſtuoſae viae moleſtia, quam harum ineptiarum narratione; & videbam Sodales, audientes haec, (verbis Horatii utor) *collum porrigere* longa lectione jugulandos. Cui *Cenſorinus:* ineptiae iſtae non ſunt Valchii, ſed barbara Latinitate loquentium. Mihi videtur, inquit *Hiſpano-Americanus*, non parum ineptire, qui in Hiſtoria Critica ineptias aliorum, quibus nemo docetur, nec niſi forte ſtultus aliquis lector, & male ſanus oblectatur, ſerio narrat. Ego, repoſuit *Cenſorinus*, non hic Valchii Patronum ago, & ex *Phronimo*, *Technophilo*, & *Polyhiſtore* ſcire aveo, quid illis de Valchii narratione iſta videatur? Mihi videtur, ajebat *Technophilus*, Valchium ex animi ſententia ea narrare, quod non putabam: arbitrabar enim joco, & hyperbolice ſcripſiſſe de ea ignorantia, quam tu dicebas, eum adſtruere a Carolo M. ad inſtauratas litteras. Exiſtimo etiam, non defuturos, qui ea legentes, majorem Criticen, & Dialecticen in Valchio deſiderent. Idem ſentio, inquit *Phronimus*, & recte dicebas, *Cenſorine*, illum, non dormitare modo, ſed ſtertere hic loci, & delirare. Ego, inquit *Polyhiſtor*, ſentio, Valchium nec bonum Criticum agere, nec bonum Hiſtoricum, cum ſine tabulis, ſine teſtibus plura narret, & credat, a nobis valde remota, & inſuper neutiquam veriſimilia.

§. *XXXIII.* Neutiquam veriſimilia dicis haec? inquit *Cenſorinus*: imo & manifeſto falſa nobis venditat bonus Valchius; quae, ut ſuadeat, adducit exempla, quae ad rem non veniunt, & nihil probant: cum in ſeculis cultioribus fuerint, qui peſſima uterentur Latinitate, vel, ſi aliquid probant, contra Valchium probant: unde malae cauſſae pejus patrocinium attulit ea exempla producens.

§. *XXXIV.* Jam vero ante omnia, ut nihil diſſimulem, eſt manifeſto falſum, Carolum M. de excolendis, & promovendis Latinis litteris parum curaſſe, quod eſt a me jam demonſtratum. Eſt item manifeſto falſum, poſt Carolum M. neminem de excolenda Latinitate cogitaſſe, & ferme veſtigium nullum illius apparuiſſe; cum plures fuerint

rint poſt Carolum M. Scriptores, qui Latine, & verſu, & proſa Oratione ſcripſerunt, in quorum ſcriptis multa carmina, multae clauſulae, multae periodi, multae paginae, ſaltem multae phraſes leguntur, quae aurei, vel argentei ſeculi Scriptoris videri poſſunt. Legat Valchius Vitam Caroli M. poſt ejus obitum, ſecundum communiſſimam opinionem, ab Eginhardo ſcriptam ſoluta Oratione: legat carmina Theodulphi Aurelianenſis, quem Hiſpanum fuiſſe probat Cl. Xaverius Lampillas tom. 2. P. 1. *Apologeticarum* ſuarum *Diſſert. pro litter. Hiſp.*: legat Claudium Taurin. etiam Hiſpanum, ſi errores dogmaticos demas, doctiſſimum: legat Latinam Hiſtoriam Vitae, & Actorum Ludovici Pii, ſcriptam a Tegano Corepiſcopo Trevir.: legat Almoinum: legat Inſcriptionem poſitam Aquiſgrani Caroli M. (*) ſepulchro, ut etiam poſitam Ticini eodem ſeculo IX. Bernardo Italiae Regi, Caroli ex Pipino Nepoti; & videbit, non veſtigia ſolum, ſed putam Latinitatem poſt Carolum M. ſuperfuiſſe.

§. *XXXV*. Alia, ut puto, inveniret ſatis expreſſa purae Latinitatis veſtigia in Bullis variorum Pontificum Rom. & Canonibus Conciliorum, quae poſt Carolum fuerunt celebrata, ut in lucubrationibus Latinis conſequutorum ſeculorum; de quibus poſtea forſitan ſermo erit. Inter has recenſeri poſſunt plures precandi Deum, & Dei Matrem formulae: plures, quas, qui de ritibus Eccleſiaſticis ſcribunt, *Proſas*, & *Sequentias* appellant, quaſque Orientis Eccleſia Ακολουτιας vocat (*): plura Cantica, vel rythmis, vel metris compoſita, quae Romana Eccleſia adoptavit, ac pie concinit in horis Canonicis, & Miſſarum Solemniis: ut *Veni Creator Spiritus*: ut *Alma Redemptoris Mater*, & *Salve Regina*: ut *Sacris Solemniis*, & alia, quae ſunt ſatis accuratae, & purae, licet non affectatae Latinitatis, & conſtat lucubrata a piis Scriptoribus barbarorum ſeculorum poſt Carolum M.. Nonnulla ex his fortaſſe ad palatum non ſunt hodiernorum Criticorum; at ſunt ſane ad guſtum ſolidae religionis, ac pietatis. Haec omnia ſatis demonſtrant,

fal-

falſa eſſe, quae ſecundo loco Valchius narrat. Nec ego contendo, quod conatum fuiſſe demonſtrare, Polycarpum Lyſerum (quem non legi, ſed citatum a Valchio vidi) Valchius ipſe tradit: iniquiſſimum nempe eſſe eruditionis aevi medii contemptum, & immerito barbarici nomen, ob ſtylum imprimis minus purum, ſeculis mediis inuſtum fuiſſe: *In vitium enim ducit culpae fuga*, ſi in medio non conſiſtatur. Ego illud unum dico, & contendo, Valchium in exaggeranda ignorantia mediae aetatis, & nimium, & manifeſto falſum fuiſſe, nobiſque vana ſomnia, & fabularem Hiſtoriam, quod ad haec attinet, legendam reliquiſſe.

§. *XXXVI.* Nec veriora ſunt, quae ſubjungit Hiſtoricus noſter: ſeculis nempe, quae ſubſecuta ſunt IX. X. uſque ad inſtauratas litteras, eos qui eruditi videri volebant, ut in Italia, ſic in Germania, Gallia, Anglia, vix legere, nedum ſcribere, & loqui Latine potuiſſe. Noluiſſem Valchio, Viro alias diligenti, & Critico, haec excidiſſe; cum negare non poſſit, Scriptores, quorum mentionem feci, & innumeros alios (quorum fortaſſis Catalogum texit Lyſerus) qui poſt Carolum M. uſque ad inſtauratas litteras Latinas, lucubrationes (*) de variis argumentis ediderunt, & legere, & ſcribere, & Latine loqui potuiſſe: niſi dicamus, Valchium de nonnullis mente captis, & inſanis locutum, qui, quamvis Alphabeti litteras non noſſent, eruditi ſeculis illis videri volebant, vel de his ea, quae narrat, a nobis intelligi voluiſſe.

§. XXXVII. Addit Valchius ad ſuadendam, ſeu probandam ignorantiam Latinae linguae poſt Carolum M. ſeculo jam IX. neceſſe habuiſſe a Presbyteris interrogari (*) conſtituendos Epiſcopos: num ſaltem legere Evangelia poſſent? Item, ut audiſtis, per ea tempora, eam fuiſſe ignorantiam, ut, qui eruditorum nomen affectabant nec flectere, nec apte componere vocabula ſcirent. Nugae: nugae. Optandum eſſet, dixiſſet Valchius, unde has fictas, & inſulſas fabulas exſcripſiſſet, & an putaret, lectores ſuos tam amplis

plis faucibus inſtructos futuros, ut hos bolos queant deglutire. Valde vereor, mi Valchi, inquit *Polyhiſtor*, ne ex lectoribus tuis unus aliquis, dum haec legeret, tacitus dixerit illud Juvenalis: *bipedem* Valchius *ſibi quaerat Aſellum*, cui has clitellas imponat. Narret haec pueris, bubulcis, & aniculis, aut aliis, qui nec legere, nedum ſcribere, aut loqui Latine ſciunt.

§. *XXXVIII.* Haec ſcripſiſſe bonum Valchium magis mirum vobis eſſet, inquit *Cenſorinus*, ſi ſciretis, eum non ignoraſſe, ſeculo IX. floruiſſe, praeter nonnullos, qui ſeculum VIII. illuſtraverant doctrinis, & ſcriptis ſuis, ut Alcuinus, qui ſeculi IX. initio deceſſit, ac Eginhardus, qui ad medium IX. ſeculum ſuperſtes fuit (& a quo, non vitam ſolum Caroli M. diligenter Latine ſcriptam, ſed & Annales Franciae, & multas Epiſtolas paris elegantiae habemus) ut Amalarius, ut Theodulphus Aurelianenſis Praeſul (cui praeter varia opera, a P. Sirmondo edita an. *1646*, tribuitur Hymnus *Gloria, laus, & honor*, cujus pars canitur in ſolemnitate Palmarum) ut alii: floruiſſe, inquam, Rabanum, Nicolaum I. Rom. Pont., Hincmarum, Paſchaſium Ratbertum, Valafridum Strabonem, Anaſtaſium, Aimoinum (*), Adonem, Freculphum, Uſuardum, Adonem. S. Aldricum, S. Eulogium Cordubenſem Antiſtitem, Alvarum S. Eulogii amicum, Spera-in-Deum horum magiſtrum, Jonam Aurelianen. Claudii Taurin. ſtrenuum impugnatorem, Teganum, Claudium Taurinenſem, & Godeſcalcum, (quorum errores, Claudii ſcilicet, & Godeſcalchi, eodem ſeculo damnati fuerunt) ut mittam multos Chronicorum & Annalium ſcriptores, quorum omnium proculdubio notitiam habebat Valchius, in Hiſtoria litteraria minime peregrinus.

§. *XXXIX.* Ex ſcriptoribus, a me relatis, quorum nonnullos recenſet Valchius in ſua Hiſtoria, plures fuerunt Epiſcopi, qui flectere, & componere Latina vocabula, quique legere, & ſcribere, & loqui Latine poterant: nonnulli Abbates, alii Clerici, aut Laici, qui ſi conſtituen-

di

di in Epiſcopali aliqua ſede fuiſſent, neceſſe non erat eos interrogare, utrum legere Evangelia poſſent? Haec noverat Valchius, nec ipſum latebat, ex his nonnullos Germanos, Anglos, Italos, Gallos, Hiſpanos alios: hocque uno ſuadere ſibi poterat, haud adeo ſtipites, bardos, ac inertes fuiſſe omnes ſeculo IX, & ſequentibus, (in quibus multo plures, & doctiores ſcriptores numerantur) ut in Provinciis, & Regnis Italiae, Galliae, Angliae, Germaniae, Hiſpaniae, qui videri volebant eruditi, nec legere, nec ſcribere, nec loqui Lane ſcirent: falſumque eſſe, nulla fere veſtigia purae Latinitatis illis ſeculis apparuiſſe, cum ſuperſint adhuc innumera, & quidem impreſſa a multis, qui non ambiebant videri eruditi. Et ſane ab hac ambitione valde alienus erat D. Franciſcus (*) Aſſiſias vir humillimus, & ſanctiſſimus Fratrum Minorum Inſtitutor, & tamen ejus Latina Epiſtola ad filium ſuum in Chriſto Antonium Paduanum, qua illi facultatem concedit Theologiam docendi fratres ſuos, ſermo item brevis, quem ad alumnos ſuos habuit, cum illis regulam, ſeu normam vivendi Evangelicam tradidit, ſunt tam purae, & elegantis Latinitatis, ut, nec a Valchio quidem tam paucis verbis elegantius ſcribi potuiſſent. Epiſtola autem, & verba D. Franciſci ſunt ineuntis ſeculi decimi tertii.

§. XL. Nec exiſtimare debemus, illos ſolum, qui ſcripta ſua poſteritati legenda reliquerunt, doctos tunc fuiſſe. Multo plures, & quidem non minus eruditos extitiſſe credendum eſt, (*) qui licet poſſent aliquid, legi dignum, ſcribere, & fortaſſe magis, quam, quae nunc ab aliis ejuſdem aetatis ſcripta legimus, nihil elucubrare, vel in lucem emittere voluerunt: quod etiam nunc contingit in ſeculis cultioribus. Haec debebat Valchius conſiderare, ut etiam, ab Epiſcopis illorum, de quibus loquimur, ſeculorum, damnatos fuiſſe in variis Conciliis errores Godeskalchi, Schoti Erigenae, Photii, Claudii Taurin., Berengarii, Abailardi, Abbatis Joachimi, Catarorum, Valdenſium, Albigenſium, Arnaliſtarum, Flagellantium, Fratri-

tricellorum, Lolhardorum, Wicleſiſtarum, ut etiam Simoniacorum. Damnatos, inquam, ab Epiſcopis, qui non modo legere Evangelia poterant, ſed qui ſacrarum omnium Apoſtolicarum traditionum, ut item diſciplinae Eccleſiaſticae, & Canonicae periti erant.

§. XLI. Si Valchius aequitati, & veritati litare voluiſſet, ut debebat pro ſuo munere, Criticum, & Hiſtoricum agens, non modo inertiae, & ignaviae in excolendis litteris non accuſaſſet eos, qui ſeculis illis vivebant, ſed eorum diligentiam, & ſtrenuitatem, eorum ſtudioſos labores litterarios multis mactaſſet laudibus; cum illi, ſubſidiis deſtituti librorum, (*) & Academiarum, quibus nos abundamus, inter militares apparatus, & clangores tubarum, inter inteſtinas diſcordias, & cum exteris bella, inter caedes Civium, & incendia bibliothecarum multa opera ſcripſerint, quae & illi aevo, & poſteritati profuerunt.

§. XLII. Quid ad haec Valchius? inquit *Phronimus*, plane neſcio; nec quamobrem, nec quo fine haec confinxit, ſibi contradicens. Nam ſi haec ab aliquo Hiſtorico excepiſſet, debebat eum citare, vel teſtes rerum adeo incredibilium producere, ut ei crederemus, utque ſe ſubtraheret notae fabularis, & comentitiae Hiſtoriae ſcriptoris. Si autem ea confinxit, ut mirabilem, ac magis plauſibilem Hiſtoriam ſuam redderet, omnes regulas Critices, & Hiſtoriae, immo, & humanitatis violavit.

§. XLIII. Suſpicor, inquit *Cenſorinus*, haec exſcripſiſſe ſine praevio Critico examine ex Centuriatoribus Magdeburg. qui faeces, relicto pretioſo grano, faetidorum quorumdam inſectorum more, collegere, ut invidiam, & odium Eccleſiaſtico ordini, ſive Clericis, Epiſcopis, & Monachis Eccleſiae Romanae illorum ſeculorum crearent. Eos vero Valchium non citaſſe, quia non ignorabat, quam illi fidem apud ſenſatos mereantur; cum hoc unum maxime, praetenſa illa ignorantia in illis ſeculis ſtabilita, ſpectarent, ut gregalibus ſuis, ac praeſertim rudi plebecu-

culae perſuaderent, intermiſſam, & perturbatam Doctrinae Apoſtolicae traditionem, & Eccleſiam per ea ſecula, ignorantiae tenebris obrutam, inviſibilem factam, vel eam in damnandis erroribus, quos, jam ſepultos, ſuſcitare conabantur, & conantur adhuc novatores, erraſſe, vel eam penitus defeciſſe.

§. XLIV. Niſi ſi Valchiano operi adſtruendo materiem miniſtrarint, eodem ovo prognati Joſephus Clauderus, & Adamus Reckenbergius, quos citat Valchius, & legi optat. Primum in Oratione habita *de inculta, & horrida ſuperioris Pontificiae, excultaque, & florida Luteranae aetatis Latinitate*: Secundum in ineptiſſima Oratione: *De ineptiis Romanorum* Clericorum *litterariis*. Vel tandem Chr. Frider. Franckenſtennius oratione ea; *De devicta ſuperiorum ſeculorum barbarie*: in qua probavit, ut Valchius ait: *una cum ipſis a Carolo vere M. reſtauratae doctrinae primordiis intercidiſſe in Occidente Graecam litteraturam fere univerſam: neglectam fuiſſe rectam loquendi rationem: quemlibet ex ſuo ſibi cerebro nova confinxiſſe ſomnia: donec tandem ſeculo XII. hominum genus* (animadvertite hominis humaniorum litterarum cultoris novam humanitatem) *Moloſſicum, Odioſicum, & multum incommodiſticum irrepſerit, quibus Scholaſticis dederit nomen*.

§. XLV. Ajebam, ex his forſitan ignorantiam illam barbarorum ſeculorum hauſiſſe Valchium, qui mihi vir honeſtus, & Hiſtoricae veritatis ſtudioſus (*) videtur: quocirca nunquam in animum inducam, illum, quae legiſtis, commentum fuiſſe. Hoc unum peccavit Valchius, in quo virum certe parum Criticum, & ſapientem ſe praebet, quod ea, quae in aliis ſuae factionis legit, ſine examine adoptarit: cum non ignoret, nihil temere credere nervos ſapientiae eſſe. Aliud lectores non mirari non poterunt in Valchio, qui invehitur non ſemel in rationem agendi, & ſcribendi nonnullorum, qui ſe profitentur humanitatis, ſive humaniorum litterarum cultores, parum honeſtam, humanam, & civilem: illud ſcilicet, inquam, mirabuntur,

tur, Orationem Frankenſtenii probaſſe, & ea, quae in ea continentur, in ſuam Hiſtoriam tranſtuliſſe. Ego ſane novum hoc petulantiſſimae impudentiae genus, & laeſae a Frankenſtenio honeſtatis, civilitatis, & humanitatis crimen, quo nomine appellem, neſcio.

§. XLVI. Tu neſcis, inquiebat *Technophilus*, qui annos prope triginta in ſcholis, & inter ſcholaſticorum opera verſatus es? Miror certe; nam ego, licet pauciores multo annos inter ſcholaſticos vixerim, non ignarus juris, quod illi merito ſibi vendicant fabricandi nova vocabula ad res, & cogitationes novas exponendas, Orationem illam Frankenſtenii, in qua novum petulantiae, & impudentiae genus continetur, *Beſtialiſſimam* ſine ambagibus (& ecce tibi novum Latinum vocabulum) appellarem: ut tandem intelligat, ſolitum a *deſpectis*, ut ait Phaedrus Fab. II. lib. III. *parem referri gratiam*. Ex binis aliis recte tu quidem illam de *ineptiis* cet. ineptiſſimam vocaſti.

§. XLVII. Aſt vos, inquit *Hiſpano-Americanus*, innominatam, illaudatamque praeteritis illam Joſephi Clauderi: *de inculta, & horrida Pontific. cet.*: & valde vereor, ne vobis iraſcatur Orator ille, quod nullam rationem *Floridae* illius ſuae orationis habeatis. Si tanta te cupido inceſſit, ne Clauderi Oratio ſine nomine, & laude praetereatur, inquiebat *Polyhiſtor*, ego illam, vel riſu dignam, vel ignari, non minus, quam vani, & glorioſi capituli miſerandum foetum appellarem: cum neſciat Claudus ille, ſive Clauderus, ante Lutheri ſeculum, ſeu ante Lutheri ſui aetatem, quae ab ejuſdem errorum promulgatione, & damnatione incipit: (nam antea Lutheri nomen auditum non erat) apud Pontificios, quos vocat, cultiſſimam Latinitatem in uſu fuiſſe: ac ſi quid culturae, & humanitatis, ſi quid recti judicii, ſi quid boni in Graecis, Latinis, & Hebraicis litteris primi eruditiores Lutheriani habuerunt, ex Pontificiis, ſeu ex Catholicae Religionis ſcholis, in quibus inſtituti fuerant, hauſiſſe.

§. XLVIII. Ne autem de florida Lutherianae aetatis

La-

Latinitate, ſeu de intemperie illa affectatae Latinitatis, ac ſtudii magis ad verborum curam, quam ad rerum utilium pondus deflectentis, vanus Clauderi hujus animus, inani captus aura glorietur, & frivolo gaudio efferatur, legat Franciſcum Baconem Verulamium, eidem minime ſuſpectum lib. 1. *de Augm. Scientiarum*, & videbit, luxuriem illam Orationis, odio in Scholaſticos Theologos, Lutheri temporibus invaleſcentem, magnam laudem non mereri, eamque ortam ex fervore, & efficacia Concionum ad populum demulcendum, alliciendum, & permovendum, ut novos, ſeu potius redivivos errores, olim damnatos, (quemadmodum ego interpretor, & ex eventu fas eſt exiſtimare) amplecteretur, Catholicae Religionis dogmata ejuraret, ac ſalutaris, & debitae obedientiae jugum excuteret.

§. XLIX. Sinite, quaeſo, inquit *Cenſorinus*, triſtia haec commemorare, & in viam, a qua jam nimium diſceſſimus, ſeu ad propoſitum noſtrum redeamus. Ajebam, Valchium illud de Presbyteris interrogantibus conſtituendos Epiſcopos, ab illis hauſiſſe, qui fabulam iſtam ante illum ſcripſerunt: puto, nihilominus, eam fabulam originem ex vero, ut multae aliae, traxiſſe, quantum conjectura aſſequi poſſum. Forſitan Presbyteri eligentes Epiſcopum, ſecundum Rituale aliquod Pontificium, conſtituendos, ſive eligendos Epiſcopos interrogabant, num poſſent Evangelia populo explanare, ſeu homilias ſacras ad populum habere? cum maxime ad Epiſcopale munus ſpectet, non exemplo vitae ſolum, ſed verbo etiam gregem ſuum paſcere, & a lupis arcere; & hinc nata fabula de interrogandis: num poſſent Evangelia legere? Sed pergamus ad exempla, quae affert Hiſtoricus noſter, quibus putat, ſe hanc ignorantiam, toti Europae communem, in Occidenti ſaltem, ſuadere, & dicta ſua firmare.

§. L. Et primum quidem de Presbytero Bojariae, baptizante ſub formula: *In nomine & Patria* cet. ſive verum, ſive falſum ſit, ſic narratum fuit Zachariae Papae, tunc Eccleſiam Dei moderanti, ut habetur in Cap. *Retulerunt de*

Conſecr. Diſt. IV. licet Gratiani locus non citetur a Valchio. Verum ſi Chronologiam conſuluiſſet Valchius, ut debebat, cum ea fax Hiſtoriae ſit, vidiſſet exemplum illud ad rem non venire, & a propoſito ſuo prorſus eſſe alienum; cum illud contigerit circa medium ſeculum VIII., quo tempore Zacharias Graecus, Vir doctus, qui Moralia S. Gregorii ex Latino in Graecum convertit, Romanae Eccleſiae praeerat, & Valchius loquatur de ſaeculo IX., & aliis poſt Carolum, uſque ad inſtauratas litteras.

§. LI. Exempla, quae affert peſſimae Latinitatis illius Abbatis, & Sacrificuli Angli (quem magis uſitato inter vere Chriſtianos vocabulo Sacerdotem appellare Valchius potuiſſet) non dicit, quo ſeculo contigerint, & poterant etiam contigiſſe in ſeculis cultioribus; cum in omni ſeculo, etiam cultiſſimo, ſint nonnulli ex omni ordine, qui imperiti ſunt purae, & accuratae Latinitatis: ut mittam falſa fortaſſe, & conficta illa exempla eſſe; cum auctores nullos, & teſtes Valchius producat: quod fecit pro primo exemplo Hiſtoriam, ſive Annales Bojorum citans. Ac licet vera eſſent, & ad ſeculum IX. vel. X. ſpectarent, ſolum probaret Valchius, Abbatem illum, & Sacrificulum, ut ipſe ait, Latinae linguae imperitos fuiſſe. At ex hoc, quis, oro, niſi omnis Critices, & Dialecticae expers, univerſalem eam ignorantiam Latinae linguae, atque adeo communem illis ſeculis, ut Italis, ita Gallis, Anglis, Germanis fuiſſe argumentetur? ac Monachos, Abbates, & Presbyteros nec legere, nec ſcribere, nec loqui Latine potuiſſe? Niſi velit etiam, me ex infelici Valchii Critice, & Dialectice, quibus hic loci utitur in Hiſtoria ſua, inferre, in caeteris Hiſtoriae partibus eum aeque infelicem Criticum, & Dialecticum egiſſe, in quo ſane injuriam Valchlo non levem irrogarem. Niſi etiam, ſi ex nonnullis, qui recte Latine ſcripſerunt, & Latinam linguam excoluerunt ſeculis IX. X. XI. uſque ad inſtauratas litteras, colligere liceat, omnes, etiam ruris cultores, & coquos Latinam linguam excoluiſſe, & ejuſdem peritos fuiſſe. Niſi demum ve-

velit, ex mala, & peſſima nonnullorum Scriptorum Latinitate, etiam cultioris ſeculi poſt inſtauratas litteras, opinemur, omnes illius ſeculi Scriptores peſſima Latinitate ſcripſiſſe.

§. LII. Superſunt nunc exempla alia peſſimae Latinitatis adducta ex Hornio, & Lanſio in *Orat. contra Hiſpanos*. Factum bene, quod ſaltem hic loci teſtes facti, vel Auctores fabulae adducit, ne quis putet, Valchium, quae narrat, confinxiſſe. At quos teſtes citat Hiſtoricus Criticus? Pudet dicere: teſtes, quos poſſet Hiſpanus quivis merito, ut infenſos, & falſos, ut ſuſpectos ſaltem recuſare. Et quidem Lanſius in *lib.* vel *Orat.* quam *contra Hiſpanos* inſcribit, non Teſtem agit, ſed Actorem; & quis unquam in teſtem accuſatorem contra reum produxit? Qua in re item deſideratur Valchii Critice; cum timere deberet, ne Hornius, & Lanſius, ſcribentes proculdubio cum vertebat bellum inter Belgas, & Hiſpanos, odio magis in Hiſpanos, quam veritati, ea narrando, litare voluiſſent, ac ſcripta illa edidiſſent, ut accenſum jam ſeditionis, & rebellionis in Hiſpanos ignem, magis, ac magis eo flabello inflammarent.

§. LIII. Verum demus, quae illi narrant de Dominicano illo Hiſpano Vargas contigiſſe. Primum: peſſimae illae Latinae locutiones, quarum exempla affert, non ſpectant ad barbara ſecula ante inſtauratas litteras, ſed ad cultiſſimum, quodque Valchius laudat in toto ſuo Opere ab eruditione, & Latinae linguae cultu. Unde non modo non probatur, quod Valchius contendit, ſed contra ipſum Valchium narrata faciunt.

§. LIV. Jam vero Criticos etiam nos agamus non nihil, & hanc narrationem Valchii excutiamus, ac in examen vocemus. Narrat Valchius ex Lanſio a Philippo II, Hiſpaniarum Rege, cujus ſub ditione Belgium erat, illic Concilium ſanguinis ſub Duce Albano conſtitutum, cui praeerat Dominicanus Vargas Hiſpanus. Statim hic occurrit non levis ſcrupulus; a Rege nempe tam prudente, &

Canonum ſacrorum non ignaro, praepoſitum fuiſſe Concilio ſanguinis Virum Religioſum: niſi forte eſſet Laicus, de quo mirum non eſſet, fuiſſe Latinae linguae imperitum, Sed eſto: voluerit Rex Hiſpanus, conſentiente, & diſpenſante, ut ajunt Canonum Doctores, Rom. Pontifice, Sacerdotem Religioſum praeponere Concilio ſanguinis, & quidem ex Ordine Praedicatorum. Numne in ſeculo, in quo referta erat Hiſpania viris doctiſſimis, & linguarum, non Latinae modo, ſed Graecae, & Hebraicae peritiſſimis, ut libri, ſub Philippi II. ab Hiſpanis editi, demonſtrant: in qua tot celebres (*) Dominicani Hiſpaniam illuſtrabant, Maluenda, Alvarez, Ledeſma, Medina, Bannezius, Lemoſius, & alii: numne, inquam, credibile eſt, elegiſſe Philiphum II. virum adeo ruſticanum, & Latinae linguae imperitum, cujuſmodi depingitur Vargas, ut eum mitteret, & praeficeret Concilio ſanguinis apud Belgas Hiſpanis infenſos? *Credat*, per me licet, *Judaeus apella*.

§. LV. Quid? quod, quicumque tandem fuerit, qui barbara illa verba, & ſoloeca, cum Belgis agens protulit, cum vulgo imperito loquebatur, a quo intelligi voluit barbara illa, & corrupta Latinitate uſus, Belgice loqui neſciens. Nec mirarer, cum dixiſſe narratur: *nos non curamus veſtros privilegios*, Hiſpane ea verba iratum protuliſſe: *Noſotros no curamus de vueſtros privilegios*, quae verpa Hiſpana, ſermonis Hiſpani ignaris auditoribus Latina ſunt viſa, & factionis primariis narrata. Quamobrem melius famae ſuae, & ſapientis Critici bono nomini conſuluiſſet Valchius, ſi haec magis examinaſſet, vel omiſiſſet, vel non tam affirmate, atque univerſe ignorantiam illam Latinae linguae ſeculis illis poſt Carolum M. uſque ad inſtauratas litteras adſcripſiſſet. Et mihi videtur Valchius minus dignus venia, & ſibi contradicere; cum ipſe recenſeat varios ſcriptores ſeculorum omnium, quae barbara vocantur, uſque ad inſtauratas litteras, (multo plures praetermittens) qui non contemnenda Latinitate ſcripſerunt: & in illis invenire potuiſſet, non levia veſtigia

ſo-

ſolum purae Latinitatis, quae illis ſeculis vix apparuiſſe dicit, ſed plurima bene ſignata, & expreſſa lineamenta illius, imo & multa puro puto, ac eleganti Latino ſermone exarata. Producat, per me licet, non bina, aut terna exempla, ut fecit, peſſimae, ſeu male conſtructae Latinitatis a Carolo M. ad inſtauratas litteras, ſed centena, ſi velit, & millena: nondum a ſe praedicatam ignorantiam Latini ſermonis, atque adeo aliarum Diſciplinarum probabilem reddet viris cordatis, qui illorum ſeculorum litterariae Hiſtoriae non ſunt ignari.

§. LVI. Quod ad Scholaſticorum Latinitatem attinet, rideant Critici Lutheriani, quantum velint, nova Scholaſticorum vocabula: execrentur eorum Latinum ſermonem: *moloſſos* eos, & *moloſſicos* appellet Lutheri de grege male ſalſus hiſtrio, neſcio quis; fortaſſe, quia illi ovium Chriſti Paſtoribus fidelem praeſtant operam, latratibuſque ſuis, & curis a Grege arcere conantur lupos. Vocent *odioſos*, quia vere eos oderunt errorum ſeminatores. Vocent *multum incommodos*, vel ſi placet *incommodiſticos*, quia multum incommodi novi Evangelii praeconibus attulerunt ſcriptis ſuis ſcholaſticis, eorum fraudes, praeſtigias, dolos, & falſa dogmata meridiana luce clarius incautis, & bona mente praeditis oſtendentes. Nunquam tamen evincent, non fuiſſe plures Scholaſticos, qui & optima Latinitate ſcribere potetant, & ſcripſerunt: quique non Latine ſolum, ſed Graece etiam, & Hebraice docti fuerunt.

§. LVII. Non ego probo vocabula barbara, ſive minus Latina, cum ſunt propria, & genuina, quibus res, de quibus Latine loquimur, vel ſcribimus, explicare poſſumus; at licitum non eſſe Theologis, nova cudere vocabula, ad res, & cogitationes novas, quae Romanos ſcriptores latuerunt, ſine ambagibus, & obſcuris vocabulis Latinis, quae vim, eas ſignificandi non habent, exponendas, nunquam viris cordatis perſuadebunt; niſi etiam Grammaticis, Juriſperitis, Chimicis, Mathematicis novas voces ab eiſdem inventas eripiant, quibus ſi quis uteretur

de Grammaticis, Chimicis, Juridicis, Mathematicis rebus non ſcribens aut loquens, plane barbarus, ridiculus, *Moloſſicus*, *Odioſicus*, *Incommodiſticus* appellarerur a Valchii amicis. Quamobrem Criticorum iſtorum, qui Humanitatis cultores videri volunt, licet omnis erga Scholaſticos urbanitatis, ac humanitatis expertes, & immemores ſint; qui Grammaticis Chimicis, aliiſque parcunt, & Theologis Scholaſticis ſycophantias ſtruunt, atque nigrum theta infigunt hac inhumana Critice ſua,

Dat Veniam Corvis, vexat Cenſura Columbas.

Ac, ut ad Valchium redeamus: exempla illa a Valchio relata nihil aliud demonſtrant, niſi eum hic loci de Clericis, de Monachis, de Epiſcopis Rom. Eccleſiae ſcribentem, primum praejudiciis ſuis, quibus in pueritia a Magiſtellis ineruditis, vel partium ſtudio excaecatis, imbutus fuerat, ſerviviſſe: deinde omnium Criticcs, Hiſtoriae, Chronologiae, & Dialecticcs praeceptionum oblitum fuiſſe: Hiſtoriam demum ſuam, alias doctam, & cultа Latinitate ſcriptam, harum fabularum narratione, harumque naeniarum cantu, nonnihil ridiculam reddidiſſe.

§. LVIII. Quamobrem in optatis habeo, a M. A., cujus rogatu, & in cujus gratiam, ut dixi, commodatus eſt mihi liber iſte a Viro eruditiſſimo Hieronymo Ferrio, (quem inter & Valchii filios primarios Jenenſis Academiae ſocios, commercium litterarium intercedit) a M, inquam, A. Virum Cl. rogari, ut his ſcribat, amice admonens, eos Patris memoriae conſultum ituros, & rem gratam ejuſdem Manibus facturos, ſi in nova, quae fiat, praedictae Hiſtoriae editione, reſecent, vel omittant potius, aut emendent particulam iſtam Operis Critici, vel ſaltem adnotent, Valchium Patrem praejudiciis, hauſtis ex factionis ſuae Eccleſiaſticis ſcriptoribus, deceptum, & aeſtro quodam Poetico correptum, naenias iſtas mortuae, ut ipſe reputabat, Latinae linguae, praeficarum more ceciniſſe. Vellem etiam, eoſdem certiores faceret, inter Romanenſes Clericos, & ſcholaſticos Theologos non deeſſe, qui Socraticis, Plauti-

ti-

tinis, & Horatianis ſalibus norint ſcripta ſua condire, quique poſſint Juvenalis, Perſii, Martialis, ac Sectanorum piper, ſinapi, & acetum, eiſdem, ſi velint, adhibere.

§. LIX. Cum haec differeret, nunc ſiſtendo, nunc cum comitibus progrediendo, *Cenſorinus*, Ferrariamque jam ingrederetur, vidit aegri Medicum, & una ſodales *Eterium*, *Hiſpano-Americanum alterum*, & *Timioxenum* ex S. Benedicti templo egreſſos, ad ſe venientes, quibus ſe ſe caſu adjunxerant bini Hiſpani alii perquam Eruditi *Albiſus*, & (*) *Gephiroſius*, quorum poſtremus Bononiam reliquerat, & Ferrariam ſe receperat metu terrae concuſſionum.

§. LX. Porro iſti omnes una ad *Cenſorinum*, & ejus comites pergentes, praemiſſis de more mutuis ſalutationibus, numerum comitum auxerunt, ac de viae aeſtuoſae, & pulverulentae incommodis, praeſertim vero de aegrotantis ſodalis, quem inviſerat, multa interrogantes; pro ſua humanitate, domum eum deducere, vel repugnantem, officioſe voluerunt. Quin etiam *Timioxenus* multis eum rogabat, ut ad ſe coenatum veniret, reputans, eum coenam domi paratam non habiturum, ac neſciens (quod ſodales Hiſpani non ignorabant) *Cenſorinum* a non paucis annis coenae valedixiſſe, ac nihil, vel parum levioris obſonii noctu ſumere conſueviſſe. At is, actis gratiis, & pro coena oblata, *Timioxeno*, & omnibus pro officio, eidem praeſtito, domum ſuam, ad quam jam fere pervenerant, cunctis vale dicto, ſe recepit, itineris, & longi ſermonis labore, non parum fatigatus.

ADNOTATIONES RESPONDENTES §§., SEU NUMERIS DISSERT. IV.

Adnotatio I. reſpondens num. III.

M*Eminiſſe ſaltem debebat Valchius, & mentionem facere Franciſci Baconis a Verulamio, qui toto lib. 6.* de Dignitate, & Augm. Scientiarum, *Doctrinam,*

 quam

quam ille novo vocabulo Traditivam *vocat , complectentem Grammaticam, Poeticam , & Oratoriam, illuſtrat ; ac quo pacto Doctrina illa augeri poſſit , indicat . Adumbrat etiam rationem conficiendi Grammaticam Philoſophicam , quam inter deſiderata ponit . Gaſpar Scioppius Grammaticam ſuam , ſeu potius* Minervam *Sancii Broſſenſis Hiſpani* Philoſophicam *appellavit : at non talis eſt , qualem deſiderat , & adumbrat Verulamius. Non paucis item mirum erit , a Valchio , inter Latinae linguae illuſtratores non recenſeri Joan. Petrum Maffejum , quo elegantiorem , & cultiorem in ſoluta Oratione Latium non vidit poſt inſtauratas litteras , quique ab eximiis Criticis hoc nomine multis laudibus mactatur . Poterat etiam inter Germanos ſuos nominare Jacobum Gretzerum , & Jacobum Pontanum , qui* docti ſermones utriuſque linguae , *Graecae nempe , & Latinae , utramque ſcriptis ſuis non parum illuſtrarunt . Nec Tireſias , nec Aruns ſum ; & tamen forſitan divinarem , quamobrem iſti omnes fuerint a Valchio praetermiſſi .*

Adnotatio II. reſpondens num. XII.

Haec diviſio Tractuum antiquorum Cataloniae , quae Conventus Tarraconenſis Romanorum aevo haud exigua pars fuit , deſervire poteſt ad intelligenda plura , quae narrat T. Livius in Cataloniae Regionibus geſta ab Imperatoribus ad Hiſpaniam contra Carthaginienſes , & rebellantes populos Roma miſſis ; quae ubi contigerint , vix intelligi poteſt , niſi cognitis finibus Laletaniae , Coſſetaniae , Ilergetum , Auſetanorum , Lacetaniae, Caſtellanorum , Indigetum , Ceretaniae , Emporitanorum , Ruſcinonis .

Adnotatio III. reſp. num. XV.

Seculo X. , in quo barbaries maxime dominabatur , Auſonenſem Eccleſiam in Catalonia gubernabat Aito , Attho , *ſive* Azo , *ad quem miſſus eſt ex Gallia Gerbertus , poſtea Silveſter II. Rom. Pont. ut ſub eo Matheſi erudiretur . Gerbertus iſte,* Aitonis *diſcipulus , Magiſter fuit poſtmodum Ottonis III. Germaniae Imperatoris , ob inſignem doctrinam,* Miraculum mundi *appellati , quo adnitente Gerbertus Romanus Pontifex fuit creatus . De Epiſcopo Auſonenſi Gerberti Magiſtro agit Hiſtoricus*

cus Nominum, & Actorum Epiſcoporum Barcin. *pag.* 116. *Hiſtoriae ſuae*, *&* *fuſius DD. Xaverius Lampillas* Differt. IV. Apol. pro Hiſpanorum litteratura. *Jam vero valde veriſimile eſt*, *Epiſcopum*, *qui Matheſim alios docebat*, *Latinam linguam non neglexiſſe*, *cujus ſtudium*, *&* *peritia magis*, *quam Matheſeos convenit Eccleſiae. Latinae Praeſuli*, *qui Latinos ſacrae Paginae codices*, *&* *SS. PP.*, *ac DD. Latinorum ſcripta cotidie in manibus habet. Saltem non adeo Latinae linguae expertem eum fuiſſe crediderim*, *ut* nec legere, nec ſcribere, atque adeo nec loqui Latine ſciret: *cum non alia*, *quam Latina lingua exterum hominem Gerbertum Matheſim docuiſſe*, *pronum ſit aeſtimare. Illud vix poſſum in animum inducere*, *auſos fuiſſe Presbyteros*, *qui eum conſtituerunt Epiſcopum*, *interrogare*, utrum legere Evangelia poſſet? *In eadem Hiſtoria Epiſcoporum Barcinon.*, *ubi de S. Oldegario Epiſcopo Barcinon.*, *&* *Tarraconenſi Archiepiſcopo agitur*, *fit mentio Epiſtolae*, *qua S. Praeſul*, *conſultus ab Epiſcopo Auſonenſi Raymundo de irregularitate cujuſdam ad ſacros Ordines promovendi*, *reſpondet dubio ſibi propoſito prudentiſſime*, *&* *doctiſſime ſatis accurata*, *ac minime barbara*, *Latinitate*, *licet eam Epiſtolam exararet initio Seculi XII. plane barbari. Epiſtola haec legi poteſt in* Miſcellaneis *Baluzii lib.* 2., *&* *in Aguirriana* Concil Hiſpaniae Collectione. *Hoc eodem ſeculo Ermengaudus Urgelli in Catalonia Comes ſatis eleganti Epiſtola Latina reprobat morem*, *ſive conſuetudinem Praedeceſſorum ſuorum capiendi bona Defunctorum Epiſcoporum Urgellenſium*: *eaque bona ad Eccleſiam Matrem declarat pertinere. Aſſertur haec Epiſtola*, *ut praecedens a Baluzio in* Miſcel. lib. 2. *Hic etiam legi poteſt Teſtamentum*, *vel Teſtamenti particula ab Ildephonſo Hiſpaniae Rege ſeculo XI. facti*, *in quo pro expiatione Animae ſuae*, *&* *Parentum ſuorum legat annuum cenſum non contemnendum in pecunia illius temporis*, *ſolvendum a ſe*, *&* *a ſucceſſoribus Monaſterio Cluniacenſi. Haec exarata ſunt Latino ſermone ſatis accurato. In* novo Theſauro Analectorum *Martenii extat ſcriptura electionis cujuſdam Wigonis in Epiſcopum Gerundenſem in Catalonia an. Chri-*

ſti

ſti 908. facta: Scriba Caſimiro Presbytero. Item alia electionis Raymundi de Palaſolls in Gerundenſis ſedis Epiſcopum facta an. 1214. , *quae ſcripturae videntur factae ab ſcribis Latini ſermonis non imperitis. In eodem* Theſauro *legitur Epiſtola Berengariae Reginae Legionis, & Galleciae ad Blancham Sororem ſuam, poſtea Reginam Franciae, & Matrem S. Ludovici Galliae Regis, in qua deſcribitur pugna commiſſa a Patre ſuo Hiſpaniae Rege (eidem auxiliantibus Aragoniae, & Navarrae Regibus) cum Rege Marochii Ammiramomelino, & victoria inſignis ab exercitu Chriſtiano reportata, contra Mauros innumeros, qui ſub Marochii Regis vexillis militabant. Saeculi XIII. initio ſcripta fuit haec Epiſtola, quae ſaeculo noſtro indigna non eſſet. Mitto ſcripta alia Latina, dominantibus Mauris in Hiſpania, exarata: quae enim attuli ſatis ſunt ad oſtendendum Criticum Hiſtoricum Latinae linguae in hac parte* Hiſtoriae ſuae Criticae *merito, tanquam parum Criticum, & veridicum a* Cenſorino *reprehendi. Quis enim ſibi perſuadebit in Gallia, Anglia, Germania, ac in Italia, a jugo Barbarorum liberatis, omnes adeo ignaros fuiſſe Latinae linguae poſt Carolum M., ut* nec legere, nec ſcribere, *multoque minus* loqui Latine ſcirent, etiam qui videri volebant eruditi, *ſi animadvertat, in Hiſpania ſub Maurorum dominatu, vel inter bella cum Mauris, & Latinis libris, & Latinitatis ſcholis deſtituta, in qua idcirco minor opportunitas, minuſque otium ad excolendas Latinas litteras, quam in illis Regnis erat; ſi, inquam, animadvertat, fuiſſe etiam ex his, qui videri nolebant eruditi, Latinae linguae cultores, nec prorſus ejuſdem imperitos? In barbaris illis ſeculis Hiſpani armis magis, & fuſis adDeum precibus ad jugum Maurorum excutiendum, quam litterarum ſtudiis intenti erant. Qui vero tranquille vivebant, & ingenuis Diſciplinis dabant operam, diſcendis linguis Arabicae, Hebraeae, & Chaldaicae magis, quam Latinis litteris, ſtudebant, ut narrat Alvarus Hiſpanus IX. ſeculi ſcriptor.*

Adnotatio IV. reſp. num. XX.

Addere potuiſſet Phronimus, *Carolum M. Latinam Poeſim*

ex-

coluiſſe: *In* Annalibus *quippe* Benedictinis *tom.* 2. *affert Mabillonius*, *de Paullo Diacono agens*, *Latinam Epiſtolam elegiaco carmine*, *&* *Ovidiana quidem ſuavitate ſcriptam a Carolo M. ad Paullum Diaconum in Caſſino commorantem*, *in qua eum dilectum fratrem appellat*, *&* *ejuſdem precibus ad Deum ſe commendat*.

Adnotatio V. reſp. n. XXI., & XXII.

Multum curaſſe Carolum M., *ſollicitumque fuiſſe de promovendis Latinitatis ſtudiis illud argumento eſſe poteſt*, *quod narrat Monachus Egolimenſis ad an.* 887. *in* vita Caroli: *eum ſcilicet*, *Roma abeuntem ſecum duxiſſe in Galliam Grammaticae*, *&* *Computatoriae artis*, *ſive Arithmeticae Magiſtros*, *&* *ubique ſtudia litterarum inſtauraſſe*. *Nec parum oſtendit hanc Caroli curam quod in* Annal. Benedictinis *tom.* 2. *narratur*: *Carolum M. venerabili cuidam Paullino Grammaticae Magiſtro donaſſe bona cujuſdam Valdandi*, *qui Lorejae in Ducatu Veneto inter rebellantes occiſus fuerat*. *In eiſdem* Annalibus *legi poteſt Epiſtola ad Baugulfum Abbatem Monaſterii Fuldenſis pro inſtauratione ſtudiorum* (*&* *videtur haec Epiſtola miſſa a Carolo M. ad Monaſteria*, *&* *Epiſcopos ditionis ſuae*), *qua praecipiebat*, *in Monaſteriis*, *&* *Epiſcopiis*, *ſcholas haberi a viris doctis*, *ut poſſent*, *qui vellent*, *in eis erudiri*. *In praefata Epiſtola ait Carolus*, *ex variis Monachorum litteris*, *ad ſe miſſis*, *cognoviſſe*, *parum cultos eos eſſe in ſermone*. *Oportere autem*, *Monachos*, *ſicut ſecundum Ordinis regulam curant honeſtatem morum*, *ſollicitos eſſe de ornatu verborum*, *quem ordinare debet cura diſcendi*, *&* *docendi*: *ut qui Deo placere cupiunt*, *recte vivendo*, *ei placere non negligant*, *recte loquendo* = *Addit etiam*, *peritiam in ſermone deſervire ad melius intelligendas ſacras litteras*, *&* *majori cum affectu laudes Deo concinendas*: *vereturque*, *ne ſermonis ignoratione*, *minus ſapientes in ſacris litteris ſint*. *In alia Epiſtola Encyclica ad religioſos Lectores ditionis ſuae*, *quae affertur etiam a Mabillonio*, *eis commendat Carolus lectionem Homiliarum emendatarum juſſu ſuo a Paullo Diacono*: *oſtenditque*, *quantum optaret Latinos codices SS. PP. incorruptos ſer-*

ſervari, & legi in ditione ſua. Haec, & alia multa, quae praetermitto, ſatis ſuperque demonſtrant, Valchium parum examinaſſe ea, quae narrat de Carolo M. & hunc Catholicum Principem magis curaſſe de promovendo ſtudio Latinae linguae, una cum ſtudiis aliarum Diſciplinarum in omnibus Provinciis Imperii ſui, quam curaverit Valchius in hac parte Hiſtoriae ſuae de inquirenda eorum, quae narrat, veritate.

Adnotatio VI. reſpondens num. XXV., & XXVI.

In Actis Concilii Francofurdienſis Collectionis Labbaeanae extat bene longa Latina Epiſtola Caroli M. ad Felicem, & Elipandum, in qua declaratur animus vere catholicus, & pius Caroli M., ejuſdemque cum accurata Latinitate in ſacris litteris eruditio. Nec minus accurata Latinitate ſcripta eſt damnatio errorum in eo Concilio a Patribus facta, quae praeterea eſt ſacra eruditione referta.

Adnotatio VII. reſp. num. XXXIV.

Inſcriptio Aquiſgrani adpoſita ſepulchro Caroli M. ſic habet. Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli, Magni, & Orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVI. feliciter rexit. Deceſſit ſeptuagenarius: an. ab Incarn. Domini DCCCXIV. Kal. Feb. *Ita Mabillonius* in Annal. Benedictinis, *qui recte animadvertit, exiguum elogium Imperatoris inſcriptionem iſtam continere, niſi dicatur, nomen Caroli, quod in ea legitur, loco maximi elogii eſſe. Non me latet, Valchium, leviſſima conjectura ductum, cum Goldaſto contendere (vide CL. Franciſcum Anton. Zachariam tom. 2.* Differt. Ital. ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantium. Differt. 3.) *inſcriptionem iſtam, poſitam ab Othone III. Imperatore, qui ob Doctrinae praeſtantiam, ut dictum eſt,* Miraculum mundi *fuit apellatus. At hoc ipſo oſtenditur contra Valchium, ſeculo X. plane barbaro, quo Ottho imperabat, ſuiſſe in Germania, qui puram, & defaecatam excoleret Latinitatem; atque adeo, qui & legere, & ſcribere, & apte flectere, & componere Latina vocabula ſciret. Fortaſſe, cum haec ſcribebat Valchius in* Hiſtoria Canonizationis Caroli M. *non meminerat*

eo-

eorum, *quae in* Hiſtoria Critica Latinae linguae *affirmarat*. *Inſcriptio vero ſepulchro Bernardi Italiae Regis inciſa Ticini*, *ſic habet*: Beroardus civilitate mirabilis, caeteriſque piis virtutibus inclytus Rex, hic requieſcit. Regnavit An. IV. Menſ. V. Obiit XV. Kal. Maji. Indict. XI. Filius piae memoriae Pipini.

Adnotatio VIII. reſp. num. XXXV.

Tria priora Cantica, *& Preces tribuuntur Hermanno Contracto*, *non ſolum Latini*, *ſed & Graeci*, *atque Arabici ſermonis perito*, *qui poſt edita varia Latina opera obiit intra ſeculum XI.* Sequentia, *quae legitur in Miſſa diei Pentecoſtes poſt Epiſtolam*: Veni Sancte Spiritus, & emitte coelitus *&c. compoſita dicitur a Roberto*, *cui cognomentum* Pius, *Franciae Rege ſeculo XI*, *eidemque varii Hymni tribuuntur*. *Canticum* Sacris Solemniis, *& alia ad Officium*, *& Miſſam Feſti Corporis Chriſti ſpectantia*, *ſunt D. Thomae Aquinatis*, *Doctoris Angelici*, *& Euchariſtici*. *Et in his quidem lucubratis a Theologo ſcholaſtico ſeculi XIII. multa apparent bene impreſſa probae Latinitatis veſtigia*, *quod Valchio non parum diſplicebit*; *cum ſibi perſuaſuerit*, *Scholaſticis illius ſeculi*, *ac poſteriorum negatum eſſe*, *aliter quam barbare Latinum quippiam efferre*. *Canticum* Ave Maris Stella *a nonnullis S. Bernardo tribuitur*.

Adnotatio IX. reſpondens num. XXXVI.

In decurſu ſeculorum IX. X. XI., *& haec conſecutorum uſque ad inſtauratas litteras Romanae Eccleſiae praefuerunt*, *non pauci ſummi Pontifices bene docti*, *& Latii ſermonis non ignari*. *Multa item habita ſunt Concilia in Italia*, *Gallia*, *Germania*, *Anglia*, *quorum Canones*, *& Decreta exarata leguntur*, *ſin minus eleganti*, *certe non contemnenda Latinitate*. *At Valchius videtur*, *nec Vitas legiſſe Romanorum Pontificum*, *niſi forte nonnullorum*, *quorum ſtudia*, *& vivendi ratio eorum dignitati parum congruebant* (*ut more gregalium ſuorum*, *Chamum imitantium*, *pudenda Patris aliis indicaret*) *neque Canones Conciliorum illorum temporum*, *in quorum plurimis praedamnata vidiſſet deliramenta Lutheri*.

Ad-

Adnotatio X. reſp. eidem n. XXXVI.

Non ſolum iis, qui Eccleſiaſticis miniſteriis addicti erant, Latini ſermonis cultus, & peritia cordi erant, ſed & pluribus, qui ſeculis illis barbaris floruerunt, Laicis Latini ſermonis non imperitis. Praeter dicta Adnot. 2. *reſpondente num. XV. hujus Diſſert., mirum mihi eſt, Valchio ignotos fuiſſe libros de* Aucupio per Falcones *ab uno ex Germaniae Imperatoribus ſcriptos Latino ſermone. Et hic quidem in Prologo palam facit, quo ſtudio ferretur in proprietatem Latini ſermonis. Ait enim Artes omnes ſua propria vocabula habere; cum vero Aucupium iſtud, ejuſque Ars ignota eſſent antiquis Romanis, factum eſſe, ut Ars iſta propria Latina vocabula non haberet:* Cum nos, *inquit*, non inveniremus in Grammatica Latinorum verba congruentia in omnibus; appoſuimus illa, quae magis videbantur eſſe propinqua, per quae intelligi poſſet intentio noſtra. *Ecce tibi Germaniae Imperatorem Federicum Secundum, imperantem ſec. XIII. qui ſollicitus erat de Latini ſermonis proprietate in lucubratione iſta ſua, quae de eo argumento forſitan prima fuit, & ex qua potuit Thuanus plura ſumere ad Poema ſuum* de Re Accipitraria *pangendum. De Alfredo ſeculo IX. Angliae Rege, Grammaticum, Poetam, Oratorem, Philoſophum, Theologum, Juriſperitum fuiſſe Hiſtorici tradunt; ac adeo litterarum ſtudiis navaſſe operam, ut octo quotidie horas in eis impenderet, neminemque ullum, a litteris abhorrentem, ſeu qui diſciplinis ingenuis excultus non eſſet, ad conſpicua munia extuliſſe = De Carolo Calvo, qui eodem ſeculo imperavit, narrat Scriptor* Vitae S. Germani, *Latino carmine, praefato ſeculo ſcripta, eum ſtudia Graecae linguae promoviſſe, ac litterarum ſtudioſos multis praemiis, & honoribus affeciſſe.*

Adnotatio XI. reſp. n. XXXVII.

Riſu, & contemptu magis digna ſunt, quam impugnatione, quae hic inculcat Valchius. Adeo ea manifeſto falſa ſunt, ut in oſtendenda eorum falſitate, non magis ſit laborandum, quam in oſtendenda luce meridiana. Vide nihilominus Adnotationem II.

Ad-

Adnotatio XII. reſpondens num. XXXVIII.

Hic Aimoinus ſcripſiſſe dicitur binos libros Latinis verſibus de inventione, & translatione *exuviarum corporis S. Vincentii Levitae, & M. Hiſpani. Fuit alter ejuſdem nominis, qui ſaeculo X. floruit Hiſtoriae Franciae, & aliorum Latinorum operum Auctor. S. Eulogius, & Alvarus Gothus, qui alumni fuerunt Abbatis, cui nomen* Spera-in-Deum *ſub Maurorum dominatione vivebant. Trium iſtorum Hiſpanorum ſuperſunt ſcripta Latina, eo tempore exarata, quo, ut teſtatur Alvarus, vix ullus in Hiſpania Latinas litteras excolebat. Omnium quippe in ore voces Arabicae imprimis (cum haec eſſet dominantium lingua) tum etiam Hebraicae, & Chaldeae reſonabant, iique docti tunc temporis habebantur, qui hiſce in linguis, non qui in Latina verſati eſſent.*

Adnotatio XIII. reſp. num. XXXIX. & XL.

Ut Valchius intelligat, non eos ſolum, qui eruditi videri volebant, ſed & SS. Viros, qui procul ab hac ambitione erant, Latini ſermonis in ſeculis illis barbaris expertes non fuiſſe, legat opera S. Anſelmi Cantuarenſis in Anglia Archiepiſcopi, & S. Bernardi Abbatis, qui ſeculum XI. & XII ſanctitate, & doctrina illuſtrarunt, & agnoſcet plura in eorum ſcriptis bene ſignata Latinitatis purae veſtigia: immo non pauca pura, & eleganti Latinitate, a SS. illis viris, inter maximas, quibus obruebantur, occupationes, & negotiorum fluctus exarata. Nonnulla item purae Latinitatis veſtigia inveniret in Luitprando Sub-Diacono Eccleſiae Toletanae, ſeculi X. ſcriptore. Seculi autem XIII. initio florebat S. Franciſcus Aſſiſias, qui proculdubio, pro ea, quam profitebatur, humilitate, eruditi nomen neutiquam ambiebat: & nihilominus ea Latinitate uſus fuit in Epiſtola ad D. Antonium ſcripta, & in brevi ſermone, ad fratres ſuos habito, qua Valchium in aliqua lucubratione ſua uſum fuiſſe non puderet. Epiſtola S. Franciſci eſt bujuſmodi.

Chariſſimo Fratri meo Antonio Frater Franciſcus in Chriſto ſalutem.

Placet mihi, quod ſanctae Theologiae litteras Fratribus

bus interpreteris: ita tamen, ut neque in te, neque in caeteris, quod vehementer cupio, extinguatur ſanctae Orationis ſpiritus juxta regulam, quam profitemur: Vale.
Haec Epiſtola ſecundum Lucam Wadingum ſcripta, & miſſa fuit an. Chriſti 1222.

Verba S. Franciſci ad Fratres.

O dilectiſſimi fratres, & in aeternum benedicti filii, audite me: audite vocem Patris veſtri. Magna promiſimus: majora promiſſa ſunt nobis. Servemus haec: ſuſpiremus ad illa (*forſitan dixit: ſervemus illa, ſuſpiremus ad haec*). Voluptas brevis, poena perpetua: modica paſſio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio: omnium retributio. Fratres, dum tempus habemus, operemur bona. Paul. ad Gal. VI.

Adnotatio XIV. reſp. n. XLI.

In ſeculis barbaris poſt Carolum M. praeter eos, qui tolerabili Latinitate ſolutam Orationem ſcripſerunt, plures invenio, qui carminum Latinorum menſurae, & ſyllabarum quantitatis ignari non erant, licet deſtituti praeſidiis, quae nos abunde habemus. Plures fuerunt etiam, qui in carminibus pangendis ſtudium, & operam collocarunt: quos quamvis non Poetas, at verſificatores ſaltem, haud prorſus ineptos, vocare poſſumus. Et omiſſis Leoninis verſificatoribus, in quorum plurimis pura Latinitas minime deſideratur, quam illi illius aevi guſtui accommodabant; poſſem, ſi opus eſſet, plura illorum temporum Epigrammata Latina ſepulchris inciſa, & alia afferre ex Muratorio, & ex Mabillonio ad ſecula IX. X. XI., & poſteriora ſpectantia, quae Poetis cultorum ſeculorum indigna non aeſtimarentur. Haec ſatis declarant, non adeo neglectas Latinas litteras illis obſcuris ſeculis, uti narrat Valchius, fuiſſe. Inter ſcriptores illorum ſeculorum, multos de rebus Liturgicis ſcripſiſſe conſtat, & nonnullos Latinis verſibus, ut Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis, qui ſeculo XII. floruit, & de Miſſae Sacrificio Latino carmine Opuſculum edidit, quod legere eſt in Bibliotheca Patrum *tom.* 21. *editionis Lugdun. Hos Latinos Scriptores vix crediderim a Valchio lectos fuiſſe, licet non ignorarit*

de

de eo argumento ſcripſiſſe . Ab eorum lectione forſitan abſtinuit, ne in illis cerneret damnationem errorum Lutheri ſui in Romanae Eccleſiae Liturgiam debacchantis.

Adnotatio XV. reſpondens num. XLV.

Eruditiſſimo Hiſpano Theologo, & una Hiſtorico, & Antiquario inſigni, Joan. Baptiſtae Gener (a) *videbitur fortaſſe* Cenſorinus *in Valchium nimis indulgens, quem ille tom. 3. ſuae Theologiae, viperinae mordacitatis notat, citans Valchii* Miſcellanea ſacra, *in quibus contendit Auctor, male a Romanenſibus Trithemium ſecutis, Lolhardos, qui ex Fratricellorum grege erant, ac Praecurſores Wicleſiſtarum, & Lutherianorum, haereticae pravitatis inſimulari. Hallucinationes autem Valchii in* Hiſtoria Canonizationis Caroli M. variis obſervationibus illuſtrata, *circa Canonizationem, in Catholica Eccleſia uſitatam, quam ille ſuperſtitioſum ritum appellat, ut etiam circa cultum Sanctis a Romana Eccleſia tributum, ac demum circa Orthodoxiam Caroli M. videri poſſunt in* Diſſert. Epiſt. ad Hieron. Lagomarſinium *Jeſuitam Hiſpanum doctiſſimum, & in Latina eloquentia, ac eruditione nulli ſuae aetatis ſecundum: qui obiit ante ſuppreſſionem Soc. an. MDCCLXXIII. magna cum bonarum litterarum jactura. Ea Diſſe.t. eſt 3. t. 2.* Diſſert. Italarum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantium, *recens editarum a V. Cl. Franciſco Ant. Zaccharia tunc Bibliot. Eſtenſi Praefecto, & nunc ſub auſpiciis Pii VI. P. M. feliciter regnantis, Academiae Hiſt. Eccleſ. Romae Directore = At* Cenſorinus Miſcellanea *illa non legit, nec* Hiſtoriam Canonizationis Caroli M., *a Valchio editam: ac Judicium ſuum de Valchiana* Hiſtoria Critica Latinae linguae *ſolum expromit. Nihilominus, qui vellet ſummo Critices jure cum Critico Valchio agere, dictum illud Ariſtotelis, lecta ejus Hiſtoria, in illum torqueret;* qui reſpiciunt ad pauca, facile pronuntiant. *Illud item ſummi alterius Philoſophi Baconis a Verulamio:* Qui faciles ſunt in credendo, libenter ſolent alios velle decipere: quemadmodum illi, qui facile, & cito rumores ſpar-

(a) *Obiit Romae poſt traditum hoc Manuſcriptum Typographo.*

ſos credunt, pari facilitate, eos augent. Fingunt ſimul, creduntque, *ait Tacitus. Nec immerito poſſet Valchium numerare inter Hiſtoricos illos, de quibus Seneca* Nat. QQ. *lib.* 7. *cap.* 56. *ait*: Quidam creduli, quidam negligentes ſunt; quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet. *Ego autem longa, & matura obſervatione didici, eos, qui difficulter admodum credunt veritates a Deo in ſacris litteris revelatas, atque ab Eccleſia, quae firmamentum eſt, & columna veritatis, definitas, & expoſitas, facillime commentitiis, & fabularibus narrationibus, ut etiam calumniis, aſſentiri. Quod quidem illuminato hoc, ſeu potius tenebricoſo, in ſeculo, quotidie in novis Philoſophis, qui vel in dubium vertunt, vel pertinaciter negant veritates Sole clariores ad religionem ſpectantes, experimur. Faciliimi enim ſunt, & proni ad credendas fabulas, quas ne pueris quidem, aniculis, & ſubulcis ſuadere poſſemus, & hiſtrionica, mimicaque libertate patentiſſimas veritates, & ſacra omnia irrident. Reſervatum nempe erat illuminato iſti ſeculo, Philoſophos Scurriles, Mimicos, & Hiſtrionicos producere: eoſdem inſuper inter ſapientes, eruditos, & illuminatos recenſere, encomiiſque magnificis celebrare. Quod, cum praeſtat,* Arcem ex cloaca, *ſecundum vetus proverbium,* facere *mihi videtur.*

Adnotatio XVI. reſp. n. LIV.

Obierant jam tempore Belgicorum tumultuum Victoria, Canus, Dominicus Soto, alii celebres Dominicani, qui Hiſpaniam ſeculo XVI. illuſtrarunt.

Adnotatio XVII. reſp. num. LIX.

Is alio nomine Philocentrius *a nonnemine appellabatur, quod, ſuppreſſo nomine, vel initialibus tantum litteris indicato, Poema, binis libris comprehenſum,* Philocentria *inſcriptum, Bononiae Latino carmine edidiſſet, ab Ephemeridum Romanis ſcriptoribus celebratum. Ne vero Poeta magis, Phyſicus, & Mathematicus, qualem ſe in Poemate illo manifeſtat, videretur, quam Theologus, haud multo poſtea publici juris fecit* Hiſtorico-Dogmaticam Diſſertationem *accurata Latinitate, licet ſcholaſtica methodo ſcriptam, de* Materia,

&

& Forma ſacrae Ordinationis, *& nunc demum, ut audio, (non enim eas vidi) binas alias edidit ad Ethicam Philoſophicam, ac Theologicam ſpectantes in Wolf., & Puffend.*

Q. MODERATI CENSORINI

DISSERTATIO V.

Quae eſt Appendix ad Diſſert. III. De Vita, & Morte Latinae Linguae.

In qua oſtenditur, inanes eſſe conatus recentium Philoſophorum, quantocunque ingenio polleant, ad veram Sapientiam ſine Divino Magiſterio, ac ductu ſacrarum Scripturarum comparandam.

COLLOQUIA PRAEVIA

Dialogi fide narrata.

§. I. POſtquam convaluit ex acuto, & periculoſo morbo, quo aegrotaverat in pago Ferrariae proximo, *Cenſorini* amicus, contubernalis, & olim in Hiſpania auditor, quem ille, ut dictum eſt, non multis ante diebus inviſerat; ad priſtinas Ferrariae ſedes remeavit: tum medicorum, & amicorum conſilio perſuaſus: tum etiam experientia edoctus, parum propitium fractae valetudini ſuae, contra atque opinatus fuerat, agri Ferrarienſis ruſticanum aera eſſe. Ut noverunt *Cenſorini* ſodales, Ferrariam remigraſſe, ad eum inviſendum frequentes convenere, ut eidem gratularentur recuperatam valetudinem, quae ipſis valde chara erat. Eſt enim, *Spudaeus* (hoc ei nomen) optima indole, ac mitti ingenio praeditus, eloquio dulcis, & plenus officio, quo omnium, quibus cum agit, ſibi conciliat voluntates.

§. II. Aberat domo *Cenſorinus*, cum ad *Spudaeum* inviſendum, & ſalutandum acceſſere. Poſt ſolitas ſalutationes, & factas interrogationes nonnullas de morbo, quo

ad extrema redactus fuerat; continuo ſermo incidit de *Cenſorino*, deque ejus Latinis lucubrationibus, per eos dies lectis, vel auditis non ſine omnium praeſentium adprobatione. Haec audiens *Spudaeus*, qui eorum, quae contigerant, & acta inter ſodales Ferrariae fuerant per ea tempora, erat prorſus ignarus: quaenam, inquit, aut quo de argumento hae *Cenſorini*, quas commemoratis, lucubrationes? An fortaſſe illae, quas jamdiu manuſcriptas, & preſſas penes ſe habet, quibus viam ad eruditam, & ſobriam ſapientiam indicat verae ſapientiae ſtudioſis, quaeque monita ſalutaria continent ex ſacris, aliiſque probatis ſcriptoribus Graecis, & Latinis deprompta, quibus praemuniti, eam viam ingredientes, devitare valeant aberrationes? Nihil de hujuſmodi *Cenſorini* Opere a nobis, auditum, inquiebant ſodales, & rem gratam nobis facis haec nuntiando. Numne manuſcriptum *Cenſorini* vidiſti, ac legiſti, aut, quod plus eſſet, illud deſcriptum habes?

§. III. Vidi, & legi, inquiebat *Spudaeus*, priuſquam Ferraria in pagum proximum valetudinis cauſſa abirem, *Allocutiones* tredecim ad ſodales, quas ille, jamdiu lucubratas, bene clauſas in arcula habebat cum manuſcriptis aliis, quae nonnunquam extrahebat, ut ea relegeret, ac vel emendaret, vel expoliret. Solebam ego (nolo enim vos de hoc peccato meo celare) diſcipuli, & contubernalis libertate uſus, eo abſente, & libros, & manuſcripta omnia, exceptis Epiſtolis, evolvere, quae *Cenſorinus* in cubiculo vel ſuper menſam, vel inter libros, vel in apertis ſcriniolis habebat. Incidi forte in codicem, cui inſcriptus erat titulus earum, quas dixi Latinarum *Allocutionum*: quod ſatis mihi fuit ad eum enixe rogandum, ut mihi earum lectionem non invideret.

§. IV. Verum ille non modo ſerio negavit, quae petebam: ſed mihi, vel iratus, vel iram aſſimulans (quod ex hac petitione mea, & ex aliis non falſo ſuſpicatus fuerat, me omnia, quae poſſem ſcripta ſua curioſe ſcrutari) morem iſtum meum, quem curioſitatis vitium, & inurbani-

ta-

tatem appellabat, multis increpavit. Aſt ſurdo canebat: nam pro eo quo flagrabam ſciendi, & proficiendi in litteris deſiderio, quoties ſeſe dabat occaſio, pervolutabam omnia; loculos omnes apertos excutiebam nihil chartarum abſtruſum adeo, ac reconditum in parva bibliotheca ejus, quae non perſcrutarer praetextu quaerendi librum aliquem, quo indigebam; nam ad libros extrahendos, legendoſque ampla mihi facultas ab eo data erat.

§. V. Exſcuſabam, ut poteram, erratum meum dicens, quaerentem me D. Auguſtini de *Civitate Dei* libros, quos ſciebam in bibliotheca eſſe, incidiſſe in Gravinae Juriſconſulti volumen de *Origine Juris*, intra quod codicem illum cum praefato titulo inveneram, nec me aliud legiſſe praeter titulum, & D. Paulli ſententiam, ſeu monitum (ad *Rom.* 12.) eidem ſubjectum: *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem* (ac rem veriſſimam affirmabam, nam cetera lituris plena erant, ac legi non poterant): quamobrem eundem denuo rogabam, ut Opus illud, quod indicabant praefixus titulus, & Paulli monitum, mihi ad inſtitutionem meam commodaret, ſi quidem me ſapientiae cupidum, ac ſtudioſum cognoviſſet.

§. VI. Tandem poſt multa verba ultro citroque habita, importunis meis precibus exoratus *Allocutiones* eas mihi traditurum, legendas ſingillatim, dixit, modo ſponderem, deinceps mihi temperaturum a curioſe evolvendis, inſpiciendiſque ſcriptis ſuis. Spopondi me ejus voluntati obſecuturum: & quoniam aegre ferebat manuſcripta ſua a me legi, in poſterum libris, quibus indigerem, contentum futurum. Hac ſponſione bona fide facta, commodabat ſingulas *Allocutiones*, quas lectas, ut imperatum erat, eidem reddebam.

§. VII. Cum poſtremam legerem, in qua de neceſſitate lectionis ſacrarum Scripturarum ad ſapientiam diſſeritur, in mentem venit eam deſcribere, ut ejus apographum apud me haberem (erat enim ea ſatis nitide, & cum paucis admodum lituris exarata): quod noctu faciebam, clauſo cu-

cubiculo, ne mihi denuo iraſceretur *Cenſorinus* jam placatus, ſi me eam deſcribentem inveniſſet: neſciebam enim, utrum illi placiturum hoc an ſecus? poeniteťque nunc me alias non deſcripſiſſe. *Allocutionem*, qua de loquor, a me deſcriptam, inter codices illos, quos ſupra menſam cernitis colligatos, habeo. Si vobis cupido inceſſit eam legendi, vobiſcum perlibenter communicabo. Eidem in fine adjecti ſunt tituli ceterarum *Allocutionum*, quos memoria retinebam: ex quibus ſpecimen ſaltem aliquod, & ideam Operis habebitis: dumque vos eam legeritis, ego me recipiam in proximum cubiculum, ut poſſim, nemine interpellante, Canonicas preces recitare.

§. VIII. Rem nobis ſane pergratam facies, *Spudeae*, dicebant Univerſi. In ea enim multa proculdubio dicta inveniemus contra novos illuminati, ut vocant, ſeculi Philoſophos, & contra Criticos nonnullos, qui a lectione ſacrarum Scripturarum abhorrent. Illi quod revelatas in eis a Deo veritates contemnant, atque rejiciant: hi quod latinitatem parum excultam, elegantem, & accuratam aſpernentur.

§. IX. Verum *Polyhiſtor*, qui condiſcipulus in Hiſpania *Spudaei* fuerat, & liberius cum illo agebat, addidit. Non ſine cauſſa mi *Spudeae*, tibi iraſcebatur *Cenſorinus*, quod ejus manuſcripta curioſe evolveres, & legere, eo inſcio, tentares. Nam ſaepe multa ſcribuntur, quae vulgari non expedit donec typis mandentur: tum quia non ſtatim perfecta ex Auctoris calamo prodeunt: tum etiam quia quae perfecta jam videntur, neceſſe eſt ſemel, & iterum examinari. Repetito enim examine multa perperam ſcripta, & ſecundis curis indigentia inveniuntur, quaeque parum probantur ſcriptori: quo fit, ut plura deleantur: nonnulla addantur, & non pauca vel emendentur, vel meliora fiant. Legi ego in Jani Nicii Erythraei *Pinacotheca* de quodam elegantiſſimo Latino ſcriptore, quindecim tantum verſus in dies ſingulos ſibi probatos ſcribere ſolitum: ac fortaſſe poſtea in eis aliquid emendabat priuſquam Opus quod lu-

cu-

cubrabat, emitteret in publicam lucem: neque exiſtimo Horatii monitum ad Poetas a vobis ignorari, quo eis conſulebat, ut nonum in annum premerent Opus, quod edere in animo habebant.

§. X. Habes, mi *Polybiſtor*, confitentem reum, inquiebat *Spudaeus*; fateor enim, olim me mihi multa permiſiſſe in ſcripta nondum vulgata *Cenſorini* Magiſtri mei, ac libertate ea, qua non oportebat, cum eo non ſemel uſum; at diſcendi, ac proficiendi ſtudio; non malo certe animo, cujus ſemper expers fui erga Magiſtros: probe ſciens Deo, Parentibus, & Magiſtris aequalem gratiam rependi a nobis neutiquam poſſe. Interea colligatos ſolvebat codices: ac repertam, extractamque *Allocutionem* illam XIII. *Polybiſtori* legendam tradidit ea conditione, ut ſi forte inter legendum ſuperveniſſet *Cenſorinus*, a lectione deſiſteretur, & codex reconderetur.

§. XI. Conditione accepta, omnibuſque lectionem avide exſpectantibus legit *Polybiſtor* titulum hiſce conceptum verbis: *Allocutio XIII. ad ſodales, in qua oſtenditur, divino magiſterio, & ductu opus eſſe verae ſapientiae iter aggredienti, ut ad veram ſapientiam valeat, devitatis aberrationibus, pervenire*. Argumentum oppido conveniens, & utiliſſimum, inquiebat *Hiſpano Luſitanus*; huic noſtro ſeculo, quod *illuminatum* appellant, quodque melius *caliginoſum* appellarent, in quo multi, rejecto, & contempto Divinarum Scripturarum, & Apoſtolicae Traditionis lumine, ac magiſterio, ſeſe ſapientiae Amatores, ſeu Philoſophos dictitant; cum nihil minus quam ſapientiam quaerant, & ament: quin potius dicendi verae ſapientiae oſores, & everſores. Perge *Polybiſtor*, inquiebant alii, & videamus quamprimum, quid nobis dicat *Cenſorinus* hac *Allocutione*.

§. XII. Quibus *Polybiſtor*: lectioni, inquit, initium faciam; at aequo animo feratis, oro, ſi interdum lectionem intermiſero: nam praeterquamquod in *Spudaei* characteribus parum ſum verſatus; occurrent fortaſſe nonnulla, quae haud ita facile legi poterunt. Cum enim *Spudaeus* haec celeri-

Digitized by Google

rer, & raptim ſcripſerit, multas litteras parum graphice exaraſſe mihi videtur, & nonnullis notis uſus. Cui *Phronimus*: ſi aenigma aliquod in ſcriptura occurrerit, non procul abeſt Oedipus, quem conſulamus. Lege ſis jam: nam longa videtur haec *Allocutio*, & oportet eam, ſi fieri poteſt, a capite ad calcem legi, & audiri priuſquam *Cenſorinus* revertatur, qui forſitan aegre ferret, ſe inſcio, deſcriptam ab *Spudaeo*, ac multo aegrius, ſi ipſi ſuboleret, eam ad alios permanaſſe.

§. XIII. Tunc *Polyhiſtor* codicem in manibus habens: ſi vobis videtur, inquit, legam titulos, ſeu potius argumenta duodecim praecedentium *Allocutionum* priuſquam ad hanc legendam me accingam. Lege, inquit *Phronimus*, ut libet, ſed rumpe moras. Sic habet titulus primae, inquit *Polyhiſtor: Allocutio I. ad Sodales: De ſerio quaerenda erudita, & ſobria ſapientia. II. De ſerio, & conſtanti honeſtarum diſciplinarum ſtudio ad ſapientiam eruditam prorſus neceſſario. III. Exſilii praetextu negligi non debet diſciplinarum, & ſapientiae ſtudium: Ubi multa de priſcorum Exſulum Graecorum, & Latinorum litterariis laboribus. IV. De mentis puritate, & recta in diſciplinarum cultu intentione, ſine quibus ad veram ſapientiam non pervenitur. V. De ratione tuendae, augendaeque doctrinae, ac per eam ſapientiae, deque intermittendo litterario labore. VI. De doctrinae, ac ſapientiae bono cum aliis communicando: deque Puerorum, & Adoleſcentium inſtitutione. VII. De Moyſe, & Chriſto in augenda doctrina, & ſapientia, quoad ejus fieri poteſt, imitandis. VIII. De cauſſis paucitatis ſapientum, deque non praeponenda fama ſapientiae, licet doctrinae, & eruditionis fama docenti alios contemnenda non ſit. IX. Sapientia non invenitur a quaerentibue eam lucri gratia, ſeu ex divitiarum cupiditate. X. De iis, qui in litterarum, & ſapientiae ſtudio curioſa, & oblectantia in primis quaerunt. XI. Senſilium voluptatum, & deliciarum cupido aberrare facit a recta via ad eruditam, ac ſobriam ſapientiam. XII. De librorum legendorum delectu, deque multiplici cautione circa novitates: ubi multa inſuper de ſacra, & profana eruditione*. Nunc

ad

ad XIII. veniamus, cujus titulus lectus jam eſt. Ea ſic incipit: *Saepe numero quaeſitum eſt*, cet. cet.

§. XIV. Vix dum haec *Allocutio*, & aliarum praecedentium lecti tituli fuerant, cum domum reverſus eſt *Cenſorinus*, quem poſt nonnulla, quae dicenda occurrerunt de recuperato *Spudaeo*, deque hujus valetudine, *Timioxenus*, & *Phronimus* rogarunt, ut quoniam in *III. Diſſertatione de Vita*, & *Morte Latinae linguae* nonnulla dixerat de utilitate, & neceſſitate lectionis SS. Librorum; ſi quid haberet de eo argumento fuſius ſcriptum, cum Sodalibus communicaret. Ille reſpondit, ſe inſpecturum manuſcripta ſua, ac ſi quid reperiret hujuſmodi, legi non indignum, eis impertiturum: continuoque arculam aperiens, & recognoſcens codices ſuos, invenit *Allocutionem* XIII. jam ab ipſis clam ipſum lectam, eamque legendam cum otium fuerit eiſdem benigne tradidit. Hanc vero Auctarii, & Appendicis ad *Diſſertationem III.* loco, titulo nonnihil immutato, & jam ſupra ante colloquia praefixo, typis dare, ſi *Diſſertatio III. de Vita*, & *Morte Latinae linguae* publicam lucem olim videret, Sodales, qui eam, cum legeretur, audierant, domo *Cenſorini* abeuntes unanimi conſenſu decreverunt; licet ut *Cenſorinus* affirmaverat, hanc, ſive Allocutionem ad Sodales, ſive in novos hujus ſeculi Philoſophos Declamationem, otii vitandi, & exercitationis gratia, non animo eam cum aliis communicandi, lucubrarit: & iccirco fortaſſe ultimam Auctoris manum in ea nonnulli deſiderabunt. En illam.

§. XV. Saepe numero quaeſitum eſt, ac ſerio quidem inter viros doctos diſputatum, num ſolo rationis lumine, quo Deus homines muneratus eſt, poſſit vera Sapientia comparari, ſeu numquis poſſit eam ſine divino Magiſterio adipiſci? Cum enim homines rationis compotes ad hoc nati ſimus, ut ſapientiam aſſequamur: hocque inter homines mutaque animantia interſit, quod ad ſapientiam poſſint homines rationis participes contendere; pecudes ejuſdem expertes nequeant; in nobis eſſe aliquid neceſſe eſt, quod nos ad ſapientiam illuminet, deducatque, ne per

Digitized by Google

obſcuram, ambiguam, ac valde difficilem ſapientiae viam incedentes a recto tramite abberremus: quod ſane non aliud, quam rationis lumen, & ductus eſſe videatur.

§. XVI. Cum enim ſapiens ille tandem ſit, qui verum, honeſtumque agnoſcit, & ad hanc veri, honeſtique cognitionis normam vitae ſuae actiones, & officia exigit; totum hoc petendum videtur a rationis lumine: quod ſi ſequamur, recta ad ſapientiam deducemur: ſi deſeramus, in inſcitiae, & ſtultitiae barathrum prolabemur, quin in viam ſapientiae proſilire, & evadere ex eo valeamus. Atque ita arbitrati ſunt antiqui Philoſophi, qui tanto cum labore ſapientiam quaeſiverunt. Toti namque illi fuerunt in accendendo diſputationibus ſuis rationis lumine, ingeniique acie acuenda, quo ſapientiam invenire ſe poſſe ſecum ipſi reputabant.

§. XVII. Verum cum poſt tot contrita diſputationibus ſecula: poſt tot labores, atque vigilias: poſt tot ſuſceptas peregrinationes (*) (*De his vide D. Hieron. Epiſt. ad Paulinum Presb.*) aliquot ſolum veri particulas invenerint: cum item in tot ſententias inter ſe diſcrepantes, & adverſis frontibus pugnantes abierint, ut quod hi aedificabant, illi diruerent; quod alii afferebant, alii pernegarent: cum demum omnes etiam illi, qui ſapientiſſimi, & ſectarum duces ſunt habiti, in craſſiſſimos errores inciderint, quibus multum a ſapientia devii facti ſunt: ac in vero ipſo, quod invenerunt aſſerendo inconſtantes fuerint, & invicem ſibi contradicentes; ſatis apparet, ab ethnicis Philoſophis, qui rationem ſe naturalem ſequi ducem in placitis ſuis gloriabantur, neutiquam inventam poſt tot ſecula ſapientiam, ac vel illos ipſos, qui ſapientes eſſe putabantur, licet inter illos, ſeptem Graeciae Sapientes numeremus, a ſapientia quam longiſſime aberraſſe; atque ſine ullo merito ſapientis nomen ſibi aſſeruiſſe. Quinimmo ſi in eorum incoſtantiam, ac vivendi licentiam, ſi in eorum aberrationes intueamur, non inepte eos parvulos appellabimus fluctuantes, & agitatos omni vento Doctrinae in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. (*S. Paullus ad Eph.* 4.) tia

§. XVIII. Recte igitur, prudenterque poſteriores diſciplinarum cultores, & ſapientiae ſtudioſi poſt Pythagoram a ſapientis nomine abſtinuerunt: ac ſtultos, arrogantesque exiſtimabant, qui ſapientiam ſeſe adeptos eſſe perperam arbitrati, ſapientis nomen uſurpabant. Et hi quidem prudentiores cenſendi, qui Philoſophi, ſive ſapientiae Amatoris, ac ſtudioſi nomine contenti, in id maxime incumbebant, ut ſi minus poſſent ſapientiam, a qua ſeſe deſtitutos agnoſcebant, & cujus inveniendae, & comparandae difficultates non ignorabant, tandem conatibus ſuis aliqua ſaltem ex parte veritatem invenirent. Cum vero iſti etiam rationi, & ingenio ſuo confiſi invenire ſe poſſe ſapientiam putarent: licet minus ſuperbe quidem, & arroganter, quam alii de ſe, deque induſtria, & viribus ſuis ſentirent; ſtultitia tamen ipſi non caruerunt. Non enim humanis viribus, ac ſolo rationis lumine, quod valde tenue, & exiguum eſt: quod item quavis pravae cupidinis flante aura inter has tenebras, & caliginem, quae poſt Adae lapſum mortalium mentes obſcurarunt, vel extinguitur, vel minuitur, poteſt ad ſapientiam perveniri. Quis neſciat, quantum a Philoſophis diſputatum fuerit, atque inquiſitum, quantique ad veram Sapientiam contendentis interſit ſcire, in quo ſita felicitas, ſeu beatitas hominis, ſeu quinam finis bonorum ſit? (*Vide Adnot.* 1.) Et tamen Ethnici Philoſophi nihil certi invenire potuerunt: conſtatque eos in ſententias pene innumeras invicem oppoſitas abiiſſe (*).

§. XIX. Divino ſcilicet magiſterio, & ſacrarum Litterarum ductu opus nobis eſt, ſeu superno lumine: quo niſi illuminemur, atque a Deo doceamur, ac manuducamur ad ſapientiam (quae, ut ait Tullius, bonorum omnium mater eſt): niſi iter ad eam aggreſſi ſupremi Numinis verbum ejuſve eloquia tanquam lucernam ſplendentem pedibus noſtris adhibeamus, lucemque ab illis ſemitis noſtris mutuemus; neque porro ibimus, qua eundum eſt, ſicque nunquam ſapientiam inveniemus (cum res nulla, niſi ſi per viam ſuam quaeratur, poſſit inveniri) neque errores in ſu-

ſce-

ſcepto ad ſapientiam itinere devitabimus, ſed in plura impingemus offendicula, ac per obſcuras, obliquaſque vias a ſapientia valde remotas, laſſi, claudicantes, dubii, ac plane devii incedemus.

§. XX. Sed ne forte quiſpiam, ex his praeſertim, qui noſtro hoc ſeculo Ethnicorum Philoſophorum conſilium, & operam in inquirenda ſapientia revocare quaſi poſtliminio volunt, ſola nempe humana ratione, ſeu rationis naturalis lumine praeeunte, philoſophandi: ne, inquam, inſigni me affeciſſe calumnia Ethnicos Philoſophos dicat, dum non modo eis ſapientiae laudem non tribuo, ſed ſtultos (*) appellare non dubito; videamus, an vera dixerim, & quid ſibi polliceri poſſint ex laboribus ſuis novi iſti rationis naturalis Philoſophi, qui tanto faſtu Philoſophiae ſuae praerogativas amplificant, & Philoſophorum magis, quam Chriſtianorum nomen affectant, dum eandem ſunt viam ingreſſi, quam tenentes Ethnici doctiores, & ſuis caſibus, & erroribus infamem, atque deſertam multis ab hinc ſeculis, quae praeceſſerunt hoc noſtrum, reddiderunt.

§. XXI. Et principio quidem primi illi Graeciae Sapientes eo putarunt, ſe ſapientiam inveniſſe, quod multa partim inveſtigarint de rerum Natura, deque cauſſis, & principiis rerum naturalium, partim in Naturae ſecretiora myſteria conati ſint penetrare. Toti quippe fuerunt in diſceptationibus de rerum primordiis, atque principiis, de mundialis fabricae compage, & ordine, de ortu, & interitu viventium tum germinantium, tum ſenſu praeditorum, tum rationalium; in quorum omnium, & inſitarum proprietatum inveſtigatione adeo ſe profeciſſe crediderunt poſt Thaletem ſectatores Leucippi, Democriti, & Epicuri; ut alter eorum Lucretius affirmare non haeſitarit, & rerum naturam, & earum rationem *nuper*, ideſt horum Philoſophorum aevo repertam demum fuiſſe, ac penitus exploratam. Canit enim Philoſophico, & Poetico aeſtro actus:

Denique natura haec rerum, ratioque reperta eſt
Nuper: *& hanc primam cum primis ipſe repertor*

Nunc

Nunc ego ſum in patrias, qui poſſum vertere voces.
Jam ſi ex eo quaeramus, num ante hos Philoſophos eſſet in orbe ſapientia? negabit profecto, cum eos aeſtimet perfectae Philoſophiae, & ſapientiae repertores. Lucretio aſſenſus fuiſſe videtur Stoicus L. An. Seneca, illud aſſerens, initia ſapientiae a mille annis ante ipſum nondum cognita fuiſſe. Cum enim & Seneca, & Romani Philoſophi in ea eſſent ſententia, Artes omnes, & Diſciplinas a Graecis, a quibus illi eas acceperant primum inventas (quod neſcirent, Graecos a Phoenicibus (*), hos ab AEgyptiis per Moſis praeſertim libros, AEgyptios a Chaldaeis per Abrahamum, & ſocios Cananaeos, qui in AEgyptum, cogente fame, profecti fuere, & deinde per Jacobum, & Joſephum (**), ejuſque fratres, filios, & nepotes, qui per quatuor ſecula AEgyptum incoluerunt, eas accepiſſe), ad ſeptem Graeciae Sapientes, qui Olympiade quinquageſima, ideſt duodecim ferme ſeculis poſt Moſem floruerunt, Philoſophiae, ſeu ſapientiae initia, & incrementa revocabant, eoſque, non abnuente Graecia, putarunt primos Philoſophiae, ac ſapientiae repertores. Quod ſi verum foret, o! miſeram ſane humanae vitae, hominumque conditionem! qui cum ad ſapientiam nati ſint, & inſito ſciendi deſiderio, & veritatis amore teneantur; tot ſecula, quae ante hos Philoſophos fluxerunt, & a ſapientia deſtituti fuerint, & rationis lumine tam tenui, & caliginoſo donati, ut veritatem, & ſapientiam invenire nequiverint. Uni iſti heroes litterarum tanto fuerunt rationis lumine inſtructi, ut quod infiniti pene mortales, qui ante eos vixere, invenire non potuerunt, illi tandem repererint: & cum ante illos humanum genus in ſtultitia fuiſſet, denſaque caligine circumfuſum, ſoli ipſi ad videndam veritatis, & ſapientiae lucem emerſerint: ut mirum non ſit, eundem Poetam de Epicuro, quem principem locum inter ſapientes omnis aevi tenuiſſe credidit, ceciniſſe:

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas exortus uti aeterius Sol.

Se-

§. XXII. Seculum nempe Epicuri, ſi Lucretii dictis fidem habemus, vocari potuit, ut noſtrum, *Illuminatum*, quia illo in ſeculo ortus fuit Epicurus *veluti aeterius Sol*, ut mentium caliginem diſſiparet. Sed videamus jam, quam vera ſint iſta, qualiſque fuerit & Epicuri, & aliorum, quos tanti facit Lucretius, Philoſophorum ſapientia: quae adeo celebratur, ut prae illis mortales ceteri vel *fungi* fuerint, vel *numerus tantum*, *& fruges conſumere nati*. Verum enimvero cum antiquiores parum, aut nihil de moribus diſſeruerint: poſtmodum vero qui conſecuti ſunt Philoſophi, & de rerum naturae primordiis, & de vitae officiis, deque ſummo Bono, ſeu de fine, & felicitate hominis ſibi ſumpſerint diſceptare: primum circa ea, quae de rebus phyſicis tradiderunt: deinde circa ea, quae de vitiis, & virtutibus monaſticis, & politicis diſputarunt, quaeque de fine hominis invenerunt, noſtra verſetur oratio: quo dilucidius appareat, utrum illi fulgentiſſimae, ut putabant, ſuae rationis ſplendore praeeunte, & mira, qua pollebant vi ingenii errores in itinere ſuo ad ſapientiam devitarint, invenerintque veritatem. Quod ſi palam fecero, eos in graviſſimos (*) errores incidiſſe non modo circa ea, quae de rerum natura diſputarunt, ſed etiam circa ea, quae faciliora videntur, & homini propiora; ſi oſtendero, neque recte eos de coelo, & terra, deque iis, quae in eis notabiliora continentur, diſſeruiſſe, nec tolerabilia quidem, quae de Homine, ejuſque fine ultimo, deque virtutibus, & vitiis decreverunt, tradidiſſe: quinimmo nec ſe, nec Deum agnoviſſe; tunc profecto manifeſtum erit, nihil, aut parum admodum ſuae rationis, atque ingenii lumine profeciſſe; proindeque Divino eloquio, atque ductu opus eſſe, ut ad ſapientiam, ad quam nati ſumus, valeamus pervenire.

§. XXIII. Ne vero iſti ſibi plaudant de inventa a ſe primum veritate, atque ſapientia, propterea quod nonnulla repererint, vel obvia, vel caſu magis, quam propria induſtria, & labore ſuo; velim mihi dicant, an illi in antiquiſſima mundi aetate cum priſcis illis mortalibus converſa-

fati, & conſequentibus ſeculis ſuperſtites fuerint, vel an omnes omnino Mundi regiones perluſtrarint, atque earum incolas, de rerum natura interrogarint? ut dicere hoc pacto ſecure poſſint, ſe primos fuiſſe in orbe ſapientes, & ante eos humanum genus aut coecum fuiſſe, aut rationis lumine caruiſſe, aut veritate, ac ſapientia deſtitutum, vitam traduxiſſe. Quod ſi id dicere non audent; proferant ſaltem teſtes aliquot, qui de priſcorum hominum inertia, & inſcitia fidem faciant, tuncque hos ſtipites magis, quam homines rationis compotes appellabimus. Si autem ne id quidem poſſunt, uti certe nequeunt; & ſtulte, & arroganter, & ridicule ſeſe primos in orbe veritatis, & ſapientiae inventores faciunt: quo circa garrulos magis circulatores, mendaces, & vanos, quam ſapientes ſe eſſe fateantur, neceſſe eſt. Si enim ſapientia ſecundum naturam hominis eſt, uti certe eſt; cum homines prae mutis animantibus ſint & rationis participes, & ad ſapientiam nati: dicere oportet, ſapientiam cum homine in terris ortam, eamque non cum ſaporis mercibus, cum pipere, & palmis, ut jocatur Perſius, hos Philoſophos perſtringens, ad urbes deveniſſe.

§. XXIV. Et ecce vobis quam immerito ſapientum nomen iſti ſibi arrogarint, cum ne ſapientiae quidem originem, nec priſcorum mortalium ſapientiam, nec ſapientiae elementa habuerint ſatis nota: quae quidem agnoviſſent, ſi prima ſaltem Geneſeos capita legiſſent, & crediidiſſent. Ex illis enim didicimus, unde ſapientia ad hominem venit, & quamobrem, ab hominum oculis, & conſortio digreſſa, ſedem ſuam in occulta, & inacceſſa mortalibus loca, & ea quidem altiſſima, tranſtulit: quo nemo ullus poteſt, niſi praeeunte ſuperno lumine, & ſacrarum Scripturarum, ſive divini magiſterii ductu recta tendere, ac multo minus ad ipſam ſapientiam pervenire. Cum enim primi homines ſcientia, & ſapientia, qua a Deo eorum conditore munerati erant contenti non eſſent, & plus ſapere, quam oportebat ſapere, vellent; in inſipientiam, & ſtultitiam incurrerunt, eaſque in poſteros transfuderunt: hocque ab oculis

mor-

mortalium ſapientia abſcondita eſt. Ad hanc autem nunc inveniendam, ut recte ajebat Horatius, opus eſt ſtultitia carere: qua nemo caret, niſi qui ab hoc morbo, qui caligo, & mentis, & animi eſt, ſuperno lumine, ac divino magiſterio liberetur. Quocirca non immerito Ariſtoteles antiquiores Philoſophos, qui non modo primum a ſe inventam Philoſophiam, ſeu ſapientiam, ſed eam ſuis ingeniis, & laboribus perfeciſſe garriebant, tanquam ſtultiſſimos, & glorioſos blaterones irriſit.

§. XXV. Age vero, quoniam, caſtigata horum Philoſophorum arrogantia, patienter ut ſpero, nos audient; errores, in quos illi impegerunt in rerum natura inveſtiganda, aliiſque pertractandis breviter indicemus, & arguamus: eos praeſertim, qui capitales fuerunt, quique magis videntur repugnare veritati, & honeſtati. Nihil vero heic de Atheiſmo opus eſt dicere; cum qui pus illud, atque venenum inculcabant, corde magis, ac deſiderio, quam mente, & verbis Athei eſſent. Quinimmo illos pudebat in tam flagitioſi erroris ſuſpicionem veniſſe: malebantque cum vulgo Polyteiſmum verbis, ac ſcriptis adſtruere, quam Atheiſmi invidiam ſubire, odiumque populorum ſibi conciliare. Qua in re, eandem, vel non abſimilem huic rationem viamque tenent nonnulli ex noſtrae aetatis Philoſopis, ac Pſeudo-Magiſtris; qui (quod eorum vivendi, loquendi, ſcribendi, agendi licentia ſatis oſtendit), cum nullum eſſe Deum, qui eorum ſcelera poſſit poenis plectere ſempiternis, apud ſe ſtatuant, ut tranquillius in flagitiis ſuis, & iniquis conſiliis, occultiſque fraudibus verſentur: non audent tamen niſi in nonnullorum ejuſdem furfuris hominum circulis carcinoma ſuum, quod corde tegunt, aperire, ne in notam tam impiae, ſacrilegae, ac peſtilentis opinionis incurrant, ac vel fuſtibus ob ſuam impietatem a populo, etiam nonnimis religioſo, tundantur, vel lapidibus obruantur. Et quidem horum alterum parum abfuit, quin intra *Illuminatum* hoc, & *Philoſophicum* ſeculum uni ex celebrioribus religionis naturalis Philoſophis Genevae

ac-

acciderit: adeo impudenter, atque aperte ille Atheiſmum eructabat, ac venenum iſtud aliis propinare ſtudebat. Non itaque de hoc errore, qui forſitan non tam inter Ethnicos Philoſophos, de quibus agimus, invaluit, quam inter Religionis naturalis Philoſophos, longior mihi erit diſputatio; cum ad refutationem ſatis fuerit, illum indicaſſe.

§. XXVI. Ac licet eos, qui inter Ethnicos Athei audiebant, quod Deorum turbam irriderent, unum Deum rerum omnium principium, & finem agnoviſſe dicamus, uti non pauci de Socrate exiſtimarunt: hoc ipſo erant ſtultiſſimi, quod vulgi errorem, quem deteſtari debebant, palam profiterentur, & ſtultos aliis exemplo ſuo in ſtultitia confirmarent. Sapientis quippe eſt, noxios praeſertim errores errantibus oſtendere, hoſque in viam reducere, ac pro veritate adſtruenda, & aſſerenda, teſtandaque, ſi ſumma ſit, invidiam, carceres, exſilia, bonorum amiſſionem, & mortem ipſam forti animo ſubire. Si autem cum reliquis ſentiebant, & non unum in lingua, & aliud in corde, & animo habebant, (quod ſane procul item debet eſſe a ſapiente) quae malum! iſtorum hominum erat ſapientia, in tam craſſo, tam noxio, tamque inſano errore fixos haerere? quid illis proderat rationis lumen, ſi in tenebris iſtis pluſquam cimmeriis, cum res eſſet tam perſpicua, verſabantur, ac per vias adeo a vero devias ambulabant?

§. XXVII. At enim, inquies, iſti Philoſophi, rationis naturalis ducti lumine, veritatem iſtam primariam de unius ſupremi Numinis exſiſtentia notam habebant, nec eſt cur eos tam ignaros rerum faciamus. Id nempe oſtendunt ſcripta doctiſſima, quae poſteris reliquerunt; in quibus, ſe in vulgi erroribus non fuiſſe, nec ut faex vulgi opinatos, haud obſcure teſtantur. Bene habet: immunes illi hac ſtultitia atque inſania fuerint, & vel Epicurum ipſum, cujus valde intereſſe videbatur, Deum non eſſe; Dei unius aſſertorem arbitremur rejecta Deorum pluralitate. Verum nunc reſtat nobis examinandum, cujuſmodi eſſe putarent, Deum iſtum, cujus exſiſtentiam adſtruebant. Et de Epicu-

ro quidem primum, qui veluti, Deus Philoſophorum habebatur, videamus, ut de reliquis conjecturam facere poſſimus, utrum recte, & ſapienter de Deo ſentirent, vel an vigilantes delirarent.

§. XXVIII. Profecto: quoniam Epicuro indubitatum erat, unicum eſſe Deum: ipſo rationis lumine, quo Deum unum, & ſingularem agnovit; agnoſcere illum debuit tanquam ſummum bonum, tanquam omnis veritatis, juſtitiae, & honeſtatis cauſſam, tanquam originem etiam, ac uberrimum fontem omnium bonorum. Deinde eum, & amare, & colere tanquam Patrem optimum, & Dominum benigniſſimum: tanquam totius Univerſi conditorem, & ordinatorem ſapientiſſimum: tanquam omnis boni Auctorem, hominis praeſertim, cujus gratia hanc rerum univerſitatem condidit: qui quidem ad Auctoris ſui imaginem factus, mirabile quoddam Mundi compendium, & *Microcoſmos*, quod terrena, & coeleſtia, ſuprema, & infima miro quodam nexu in ſe copulet, merito appellatur. Demum, ut finem, & ſcopum, quo referuntur omnia, utque providentiſſimum gubernatorem: atque adeo ſcelerum vindicem aequiſſimum, & praemiorum pro recte factis munificum largitorem. Haec ſcilicet ex unius Dei exiſtentiae poſitione legitima conſecutione fluunt: niſi ſi Deus quidam ponatur iners, impotens, injuſtus, invidus, & ignarus, ſicque Deus imperfectiſſimus; licet Dei natura talis eſſe oporteat, ut nihil illo majus, nihil perfectius poſſit mente cogitari.

§. XXIX. Aſt non ita viſum Philoſophorum Alphae, atque ingeniorum ſoli fulgentiſſimo Epicuro: qui Deum quidem unum poſuit, ſed inertem, & inprovidum: nec Patrem, nec Dominum, nec Auctorem, nec gubernatorem rerum creatarum. Et quamquam Deus iſte aeternus ſit, & immenſus, ſeu rebus omnibus intime praeſens, niſi ſi forte finito aliquo, & certo loco circumſcriptus, ac veluti ſaxo alicui alligatus fingatur; res tamen mundiales, & humanas non magis curat, quam ſi re, & cogitatione quam longiſſime procul a nobis eſſet: proindeque nec nobis quidquam ab

co

eo metuendum, quamvis in omne flagitium erumpamus; nec quicquam ab eo expectandum, licet aequitatem ſectemur, & honeſtatem; nec vero colendum, aut orandum, cum nihil illi debeamus, nec boni aliquid poſſit nobis impertiri, nec a capitibus noſtris mala propulſare. O! Epicuri ſapientiam plane ſingularem, qui talem Deum commentus eſt, quem ſtipitem magis, quam Deum neceſſe eſt appellare!

§. XXX. Jam, ſi ex eodem quaeras, ecquis Mundum condiderit? ecquis hanc molem Univerſi ordinatiſſimam, & quo conſilio, ac fine eidem propoſito in luminis auras eduxerit? reſpondet illico vir acutiſſimus, &, ſi ita loqui fas eſt *illuminatiſſimus*, qui genus humanum ingenio ſuperavit, & mortales omnes, ut aetherius Sol illuminavit; reſpondet, inquam, & Hominem ſui gratia factum, & Mundum ex fortuito atomorum concurſu, caſu ſcilicet, nulla mente, nullo conſilio, nulla providentia conſtitutum. Mirabilis ſane caſus virtus, atque potentia! quae rem tantam, tam pulchram, tamque mirabilem: quae machinam, Dei mentem, atque potentiam ſuperantem, tanta facilitate fabricarit.

§. XXXI. Si ipſum deinde roges de virtutibus, & vitiis, de humano Animo, deque ejuſdem felicitate; humanum Animum, & mortalem facit, & extincto Homine, penitus interire, & nuſquam eſſe ſtatuit; atque hac in re Homines belluis pares arbitratur. Inania porro, & ſenſu vacua eſſe virtutum, ac vitiorum nomina, & quidquid Homini collibitum fuerit, illud bonum aſſerit: quidquid Homini aut dolorem affert, aut voluptatem adimit, eidem malum eſſe affirmat; cum ſummum Hominis bonum in ſenſuum voluptate collocarit. Quae errorum portenta adeo ſunt abſona, ut nihil magis abſonum cogitari, aut dici poſſe videatur. Iſta quippe non hominis ſani, & ſobrii placita, ſed aegri ſomnia, & inſani capitis deliramenta debent appellari: quae non rationibus refellenda, ſed virgis plectenda, aut tribus Anticyris medicanda. Mitto hominis incon-

ſtantiam, quae ſtultitiae non obſcurum eſt indicium, dum ſecum ipſe pugnans ait, virum ſapientem ſemper beatum eſſe, & vel in Phalaridis tauro incluſum, hanc vocem emiſſurum: *ſuave eſt, & nihil curo*. Ecquis voluptarium hominem non irrideat? qui perſonam viri fortis, & quidem ſupra modum fortis aſſumit, & corporis cruciatus acerbiſſimos voluptatem arbitratur. Itaque valde vereor, ne, ſi ipſe in carcere illo ignito incluſus fuiſſet; & in voces longe ab illis diverſas eſſet erupturus, & ejus ſapientia eſſet in fumum abitura.

§. XXXII. Sed eſto, inquies, non fuerint iſti ſapientes, qui tam perverſe uſi ſunt ratione, & tam inepte de Deo, de Univerſo, de Homine, de ſummo hominis bono, de virtutibus, & vitiis, lumine ſacrarum Scripturarum deſtituti, diſputarunt: ut mirum non ſit ſeſe inter pecudes numeraſſe, cum in tanta rerum ignoratione, & inſcitia verſarentur. Quid namque a voluptariis hominibus exſpectari poterat, quod ſapientiam, vel rationem redoleret? Sed fuerunt alii ex Ethnicis Philoſophis, a quibus Epicurus, & gregales pro merito vapularunt. Nam multi ſolo rationis lumine, ſine ſacrarum litterarum, ſeu ſine Revelationis, & Divini magiſterii ſubſidio, recte de Deo, de Mundi exordio, deque Dei Providentia diſſeruerunt: de virtutibus, & vitiis non inepte ſenſerunt, & Animum immortalem praemiis, aut ſuppliciis poſt hanc vitam afficiendum, docte, atque ſapienter affirmarunt. Pythagoras quippe, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Tullius, Seneca, & quotquot in Pythagoreorum, Academicorum, Peripateticorum, & Stoicorum caſtris merebant, & hanc rerum univerſitatem a Deo factam, gubernatamque crediderunt, & poſt mortem juſtitiae ſectatoribus praemia, & poenas impiis, atque flagitioſis aſſignarunt.

§. XXXIII. Non eo inficias, hos Philoſophos propius ad veritatem, quam Epicurei acceſſiſſe; attamen illi, ſi quid hac in re viderunt; vel caſu in veritatem inciderunt, vel ex antiqua populorum traditione, vel ex ſacris libris, jam ſatis pervulgatis, vel ex Sybillarum ſcriptis, vel ex commer-

mercio cum Hebraeis ſapientibus acceperunt: qui, ne viderentur per homines barbaros, &, ut ipſi putabant, ſervituti natos, in ſapientia profeciſſe; multa oppido quam ridicula, multa incredibilia, & abſona de ſuo addiderunt. Quo quidem factum eſt, ut cum facile potuiſſent, ad ſapientiam pervenire, ſi per viam Hebraeorum, apud quos ferme unos (*) erat tunc temporis ſapientia, ideſt ſi per lectionem ſacrarum Scripturarum eam quaeſiviſſent; hanc negligendo, procul ab ea per devia euntes, receſſerunt.

§. XXXIV. Quid? quod plerique eorum, qui recte de Animorum immortalitate, ac de virtutibus, & vitiis diſſeruerunt, ut Tullius, ut Plato, ut Socrates, Academico more, ſeu haeſitantes de rebus illis pronunciarunt; quod ſatis eſt ad demonſtrandum, illos veritatem minime tenuiſſe. Ut nihil addam de fabulis, & contradictionibus, quibus ſeſe implicarunt, cum de alterius vitae praemiis, & ſuppliciis loquerentur: quo ſatis apparebat, eos omni doctrinae vento abreptos, inter undas dubitationum fluctuaſſe, quin certi aliquid, quod firmiter crederent, apud ſe haberent. Sed mitius cum his agamus, & Pythagoram arbitremur pro certa re, atque indubitata Animorum immortalitatem habuiſſe. Aſt homo ſapiens, ut aliquid ſe inveniſſe ignotum aliis putaretur, ſtultiſſimam illam Animorum tranſmigrationem commentus eſt, qua Animus a corpore vita functo decedens, in corpora alia, vel pecudum, vel hominum ſucceſſione quadam tranſiret, hacque ratione vel poenas lueret ſceleribus debitas in brutorum corporibus incluſus, vel praemium pro bene factis in primariorum hominum, Ducum ſcilicet, Regum, Imperatorum corporibus reportaret.

§. XXXV. Quam perſuaſionem, ita animo ſuo alte infixiſſe videbatur homo vel inſanus, vel mendaciſſimus; ut affirmare non dubitaret, ſe olim Euphorbum, in bello Trojano clarum, atque ab Homero cum laude commemoratum, fuiſſe, alioſque, in quos poſtea transformatus fuerat, ſine haeſitatione ulla indicaret: donec tandem poſt varios caſus, & rerum diſcrimina, poſt tot metamorphoſes in Pythagoram

Sapientiae ſtudioſum, ſeu Philoſophum evaſit. Ecquis vero non ſtatim miretur ſingularem *Saperdae* hujus memoriae vim: qui, cum mortales ceteri tanta rerum ſuarum oblivione teneantur, ut qui, & quales ante ortum ſuum fuerint prorſus neſciant; unus Pythagoras, quiſnam in praeteritis ſeculis fuerit, recordaretur, ac plane ſciret. Verum deridenda magis, quam refellenda hominis loquacitas, ac mentiendi licentia, eumque delirum ſenem, ac jocularem potius, quam ſapientem credamus. Neque vero ille in hoc uno deliravit, aut inſanivit. Quid enim inſanum magis, quam vetare carnium eſum, quia fortaſſe Anima, vel avi, vel parentis, vel cognati alicujus, aut amici defuncti, pecudis in corpus ſeſe inſinuaverat, eidemque vitam dederat? An non item delirabat narrans, ſe in Infernum deſcendiſſe, ubi Animas Heſiodi, & Platonis vidit: unam alligatam columnae metallicae, alteram ex arbore pendulam & ſerpentibus imminentem? Delirabat etiam, cum multis rogavit, neſcio quem, qui canem percutiebat, ne eum necaret, quia ex ejus ejulatu noverat, cari amici Animam in canem tranſiviſſe. Tandem vel delirabat, vel inſanus erat, cum mori maluit, quam fabas conculcare, divinum, neſcio quid, proculdubio in illis agnoſcens. Neque opus eſt, hic ejus tyrannidem in diſcipulorum ſuorum mentes commemorare; cum notum vobis ſit, eum caecam fidem ſuis dictis ab eis praeſtari voluiſſe, & quinque annorum ſilentium ab eiſdem exegiſſe.

§. XXXVI. Longe aliter, & moderatius de ſe, deque doctrina ſua ſentiebant Academici; quos non pudebat, ignorantiam rerum omnium, inſcitiamque ſuam profiteri. Sic enim philoſophabantur, ut de pronuntiatis ſuis tanquam incertis, & falſitati obnoxiis dubitarent, adeout nullius rei ſcientiam haberent. At quotuſquiſque invenietur, qui in Diſciplinis addiſcendis terere tempus velit, ut tandem rerum omnium inſcitiam aſſequatur? & tamen Philoſophi iſti, uti etiam Pyrrhonici, qui de rebus evidentiſſimis dubitabant, inter ſapientes numerantur. Quid de illis dicam, qui nivem albam non eſſe ajebant? qui incolas neſcio quos

(for-

(fortaſſe Centauros, Hircocervos, Harpyias, Chimeras) in planetariis orbibus collocabant? qui ſidera, & viventia, & rationalia, & ex illis nonnulla Deos eſſe aſſerebant? qui Solem vel laminam auream bipedalem, vel ſpeculum quoddam, aut coeli foramen arbitrabantur? qui demum, ſe tenebras videre, & audire ſilentium ſibi perſuadebant? Si Protagorae credam, inquit Seneca *Epiſt.* 89., nihil in rerum natura eſt niſi dubium: ſi Nauſiphani, hoc unum certum, nihil eſſe certi: ſi Parmenidi, nihil eſt praeter unum: ſi Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos ſumus? quid iſta, quae nos circunſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, & fallax. Non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt, an illis, qui, ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.

§. XXXVII. Infinitus eſſem ſi omnes inſigniorum veterum Philoſophorum ineptias (*a*) enumerare vellem, quibus illi procul a recta via ad ſapientiam fuiſſe demonſtrarunt, quod ingenio ſuo confiſi, ſolo rationis lumine, iter ad ſapientiam aggredi voluerunt. Si enim verum eſt, quod ajebat Anaxagoras, circumfuſa eſſe tenebris omnia: ſi verum dixit Empedocles, anguſtiſſimas eſſe ſenſuum ſemitas: ſi verum quod Democritus, in puteo profundiſſimo deliteſcere veritatem; fulgentiori lumine proculdubio opus eſt illo, quod nobis accendit naturalis ratio, ut per viam adeo caliginoſam, & difficilem incedamus, perque eam aberrationum immunes ad ſapientiam perveniamus. Solo nempe rationis ſuae lumine confiſi antiquiores Philoſophi, cum putarent, ſe poſſe ejus ope ſapientiam invenire; quaeſiverunt quidem ſapientiam, ſed qua quaerenda non erat: cumque magna circumfuſi caligine incederent, quin eam poſſent exigui luminis ſplendore diſcutere; in varias vias oppoſitas, omneſque a via ſapientiae devias abierunt.

§. *XXXVIII.* Neque hiſce aberrationibus immunis

(a) *Multas recenſuit Plutarchus libris V. de* Placitis Philoſophorum; *ſed multo plures potuit recenſere.*

Socrates fuit, licet de eo dictum ſit, Philoſophiam e Coelo in terras devocaſſe, quique ab Apolline Pythio Athenienſium omnium ſapientiſſimus fuit appellatus: qui demum tanti a Platone habebatur, ut gratias Deo ageret, quod Socratis temporibus fuiſſet natus. Erravit ille & quidem graviſſime, licet Ethica tantum, & Politica inveſtigare voluerit, ſuperſedens de naturae occultioribus, & difficilioribus diſputare. Quid enim? an leviculum illud eſt, geminos Deorum ordines ponere; malorum ſcilicet, & bonorum: quorum illi aerumnis hominum; hi vero ludis, & voluptatibus placarentur? An illud non prorſus ridiculum, quod tanquam Oraculum Socraticum uſurpatur: *quae ſupra nos ſunt, nihil ad nos?* Igitur nihil ad nos coelum, nihil lux iſta pertinet, nihil ſupremum Numen, cujus mente, & nutu mundialis haec machina ex nihilo prodiit, & cujus providentia gubernatur. Ergo ſolum de terrenis iſtis, quae pedibus calcamus, curare debemus, coeleſtia, ſublimia, Divina negligentes; licet hominis figura nos doceat, coelum tanquam domicilium noſtrum, & patriam intueri, & ad coeleſtia debere nos mente, & animo adſpirare. Si vero id dixerit, quod nobis negatum ſit penitus agnoſcere coeli, aetheris, ſiderumque naturam; profecto nec de rebus iſtis, quas ſub pedibus habemus, quaſque contrectamus manibus, oportebit vel diſputare, vel curare; cum ne iſta quidem mente comprehendere valeamus. Quod ſi, ut multi interpretantur, Religiones, & Superſtitiones tollere voluit; quid tandem illud erat, per canem, & anſerem, ut ſolebat, dicta ſua confirmare? quid illud inſuper, ante mortem familiares rogare ſuos, ut gallum, quem AEſculapio voverat, pro ſe ſacrarent? Porro ſi morbo Socrates obiiſſet, dici poſſet, vi morbi ingraveſcente, in delirium, vel in inſaniam incidiſſe; cum vero Socratis mors non ex morbo, ſed ex hauſto veneno conſecuta fuerit; inſani, & dementes ſunt, qui Socratem mortalium omnium ſapientiſſimum, & ſi ſuperis placet, etiam Virum Sanctum, ac Martyrem Divinae Unitatis proclamant: quod poſtremum Eraſmus Roterodamus dicitur praeſtitiſſe.

Sed

§. XXXIX. Sed fortaſſe ſapientius locutus eſt Socrates, cum de virtutibus, & vitiis differens, deque Republica, illud docuit charitatem, & aequitatem, quae inter cives conſtare in primis debent, rerum omnium communitate ſtabiliendas oportere adeo, ut non pecunia ſolum, domus, templa, & praedia, ſed & matrimonia communia ſint, proindeque & uxores, & filii, & parentes, & mariti in communitatem veniant. Quo fiat, ut ad eandem foeminam plures viri tanquam canes confluant: ut idem filius plures patres, ſeu potius nullum agnoſcat, & plures patres eundem filium: ac, ut plures uxores unum maritum, ita plures mariti eandem habeant uxorem. O! hominis ſapientiſſimi ſtultitiam non ferendam! Jam quis non videt, quam parum aequa, & quam abſona eſſet haec perſonarum, & ſtatuum confuſio, magis quam communio? quae tunc, oro, eſſet fides conjugalis? quae continentiae, & caſtitatis virtus? cum omnes foeminae pudicitiam omnibus, etiam filiis, proſtitutam haberent. Quae tandem filialis reverentia, & paterna charitas? cum nulla eſſet certa proles, nulla indubia generatio, nullus non dubius genitor, & parens. Porro ſi Socrates, magnus ille Socrates, & diſcipulus ejus Plato eidem addictiſſimus, cujus ore Socrates locutus eſt, & quem divinum nonnulli appellant, tot, tantis, tamque faedis erroribus fuerunt obnoxii, ad ſapientiam adeuntes, ut ne Uliſſes quidem in ſua ad Ithacam navigatione plus erraverit; quid de aliis dicemus, qui ſolo rationis lumine, ut iſti, contendere ad ſapientiam praeſumunt, ſupernum lumen, ac divina eloquia rejicientes? Verum ignoſcendum Socrati, qui confeſſus eſt, illud unum ſcire, ſe nihil ſcire, ut tota ejus Philoſophia, & ſapientia in inſcitia poſita dici poſſit. Seculi vero noſtri Piloſophis ecquis dabit veniam, qui ſeſe unos illuminatos, ac ſapientes; ceteros ignaros, & fanaticos appellant: quamvis plura, Socraticis afferant abſurdiora, & cognitae per divina eloquia veritati pertinaciter reſiſtant?

§. XL. Supereſt nunc, ut de Ariſtotele, & Seneca, qui ma-

magis cordati poſt aliorum errores videntur, nonnulla dicamus. Et ſane de Ariſtotele illud conſtat, Philoſophos pene omnes, qui eum praeceſſerunt exagitaſſe, & expilaſſe: ac quemadmodum de alumno ſuo Alexandro dictum fuit:

Felix terrarum praedo, non utile Mundo
Editus exemplum,

ita Stagiritam felicem aliorum doctrinae, & gloriae praedonem fuiſſe. Licet enim ex aliorum ſcriptis profecerit; fere nunquam eorum mentionem facit, niſi cum eos refellit, & arguit erroris: illud unum ambiens, Philoſophos omnes, ſi poſſet, atque eorum famam, & auctoritatem, errores indicando, ac refutando, ab ſcholis exterminare: quo ſolus ipſe deinceps in gymnaſiis regnaret. Quid autem ille, in libris de *Phyſico Auditu*, de Natura, & ejus principiis, & cauſſis doceat? vix ſciri poteſt; cum obſcure admodum, & ambigue de rebus ad Phyſiologiam ſpectantibus diſputarit: quod ſe conſulto feciſſe in Epiſtola ad M. Alexandrum confiteri non erubeſcit. Id vero propterea factum ab eo non pauci exiſtimant (licet ille alia praetexeret, quibus Alexandrum placaret) ut philoſophantes omnes diverſarum ſectarum dicta ſua ad proprias opiniones poſſent detorquere: hocque habere plures ſectatores. Ut vero aliquid novi, ſeu ab aliis non dictum de humana Anima proferret, Εντελεχειαν eam appellari voluit. Quid autem hoc nomine, & appellatione ipſe intelligeret? Nemo ullus adhuc forſitan divinavit. Illud tamen ſatis aperte ſtatuit, Mundum ab aeterno fuiſſe: nihil item in mente eſſe poſſe, quod non fuerit ſenſu praeceptum: atque ex nihilo nihil poſſe fieri. Quibus placitis, & decretis inſiſtens, ut mittam alia, nimium a vera aberravit ſapientia; cum certo certius ſit, ac divino teſtimonio confirmatum, Mundum in tempore conditum fuiſſe: cum item Deum, qui ſub ſenſus noſtros cadere non poteſt, uti neque humanus Animus, mente cogitemus, & plura Deus quotidie ex nihilo faciat, quae nullum olim *eſſe* habuerunt. Seneca autem, qui magni nominis gloria in Porticu claret, quique a nonnullis perperam inter Chriſtianos Philo-

lo-

loſophos, & S. Paulli diſcipulos numeratur, verbis minime obſcuris mentem ſuam in Phyſicis, & Ethicis aperuit: ac licet tecte plura, congruenterque in *N.N. Q.Q. in Epiſtolis ad Lucilium*, & lucubrationibus aliis ſuis tradiderit; ſunt tamen non pauca, in quibus a recta via ſapientiae receſſit.

§. XLI. Quid enim? an non capitalis error fuit exiſtimare, hominem vitae ſuae dominum eſſe: prudenterque, ac ſapienter eos facere, qui ſeſe interimunt, ut a ſervitute, a morbis, reliquiſque vitae miſeriis, & calamitatibus liberentur? Hac ille inhumana, & pluſquam ferina opinione ductus Catonem, ſectae ſuae columen multis eſt proſecutus laudibus, quod ſibi manus violentas intulerit, & gladio ſe transfoderit, ne ſe cum Rom. Republica in ſervitute C. Caeſaris videret. An non illud item ſtultiſſimum, ſapientem ſuum ſtipitem facere: dum ad omnes fortunae ictus ea conſtantia, atque firmitudine eſſe praecipit, quae magis ſtupor mentis, & animi duritia, quam virtus a Philoſophis aliarum ſectarum exiſtimatur: dum item extinctas magis, quam rationi ſubjectas voluit hominis paſſiones? Illud vero quam a veritate remotum, abſonumque? ſidera, non viventia ſolum, ſed ratione utentia, immo, & Deos quoſdam cum Pythagora opinari.

§. XLII. Miſſam facio, ne multus ſim, ridiculam illam, ac Philoſopho indignam ſententiam, quae in altera ex Epiſtolis ad Lucilium invenitur: *In unoquoque* nempe *virorum bonorum qui Deus? incertum; habitat tamen Deus*. Quid de aliis Stoicis diſſeram, quorum nonnulli, in eam dubitationem venerunt, anne Soli, ut ceteris Planetarum Orbibus, ncolas adſcriberent? Illud vero plane impium Stoicorum dogma, quo ſapientem metus omnis expertem decernunt: cum metu ſublato, timorem Numinis, qui initium eſt verae ſapientiae tolli, & Religionem omnem nutare neceſſe ſit. Mitto etiam, plures ex celebrioribus tum Stoicis, tum aliarum ſectarum Philoſophis de Fato, & Fortuna ſecundum vulgaria tunc praejudicia decreviſſe, quos cum refutare vellet Tullius in lib. de *Divinatione*, neſciens hu-

humanam libertatem, ſeu hominis liberum arbitrium cum divina Providentia conciliare; Deum negavit praeſcium futurorum, quae pendent a libera hominum voluntate: hocque, ut recte adnotavit M. Auguſtinus lib. 5. de *Civit. Dei* c. *9.*, factum eſt, ut cum homines adſtrueret liberos, voluerit in Deum ſacrilegus eſſe: cum ſacrilegium ſit, Deum non omniſcium arbitrari. Sed finem imponamus rei infinitae. Si enim cunctos Ethnicorum errores perſequi vellem, eorum ſcilicet, qui ſola ratione naturali ad ſapientiam contenderunt ſine magiſterio, & ducta ſacrarum Scripturarum, vereor ne oratio noſtra finem, & exitum inventura non eſſet.

§. XLIII. Nunc vero, relictis Ethnicis, ad novos Rationis, & Religionis naturalis Philoſophos veniamus, ad quos ſermonem convertentes examinemus, utrum ſpem facere nobis poſſint, felicius iter eos ad ſapientiam ſolo rationis naturalis, quo pollent, lumine eſſe confecturos. Et primum quidem vellem mihi dicerent, an putent, Socratem, Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, & heroem illum ſuum Epicurum, cujus ſectam in primis propagare ſtudent; an inquam, iſtos putent naturalis rationis lumine caruiſſe? vel an exiſtiment, ſe his, aliiſque Ethnicis Philoſophis ingenio, & rationis lumine ſuperiores? Quae ſi affirment; & arrogantes ſunt, & ſtultiſſimi. Arrogantes, quia ſe illis ſuperiores ingenio faciunt: ſtultiſſimi, quod in plurimis ſequantur eos, quos ratione naturali putant caruiſſe. Fateantur igitur vel inviti, illos, & magno ingenio praeditos, quod eorum ſcripta ſatis indicant, & multo rationis lumine, ac meditatione viaticatos, atque inſtructos, ad veritatem, & ſapientiam inveniendam iter ſuum ſuſcepiſſe. Cum vero illi, quod a Divini eloquii, & magiſterii ductu deſtituti, ſolo rationis lumine uſi ſint, in tot errores abſurdiſſimos inciderint, & tam procul a ſapientia abierint; quid nobis promittere ex novis Religionis naturalis Philoſophis poſſumus, dum priſcorum Philoſophorum exempla imitati, verita-

tem,

tem, & ſapientiam his unis nixi praeſidiis, confiſique ſubſidiis, inveſtigant, quin Dei opem, quin Divina eloquia, quin ſupernum lumen quicquam penſi habeant? Hi dum contra errores, & ſtultitiam, ſolo rationis naturalis, & proprii ingenii viribus freti, dimicant, quin ſuperni luminis a Deo immittendi auxilium requirant, ea uſurpare videntur, quae Mezentius contemptor Divum cum AEnea pugnam iniens, (*Virg. AEn. lib.* 10.)

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro,
Nunc adſint

& iccirco erroribus, & ſtultitiae infeliciter ſaepe ſuccumbentes, arrogantiae ſuae non immeritas poenas luunt.

§. XLIV. Et mirabimur, eos non modo Ethnicorum Philoſophorum errores praecipuos adoptaſſe, ſed in graviores, abſurdiores, & magis perniciosos cecidiſſe? dum ſine Divino Magiſterio, & ductu, dum ſine Divinorum eloquiorum luce, quae in ſacris Libris, in Apoſtolica traditione per manus Patrum doctiſſimorum, & Sanctiſſimorum accepta, continetur, viam ſapientiae ingrediuntur? Quamquam Ethnicis ignoſcendum, quod hanc lucem in promptu non habuerint, ac de ea, vel nihil prorſus ſcierint, vel non niſi cum magna difficultate eam menti ſuae adhibere potuerint, ſapientiae iter aggredientes. Quis vero veniam noſtrae aetatis Philoſophis dabit, qui lucem illam rejiciunt, & conantur extinguere, quam in promptu habent, illique tenue, & obſcurum lumen ſuae rationis praeferunt, atque in tenebris ambulare per arduam, ambiguam, & caliginoſam ſapientiae viam ſine aberrationis, & hallucinationis periculo ſe poſſe arbitrantur? Niſi forte indulgentia, & venia illos dignos arbitremur, qui dum in obſcuro loco Margaritum amiſſum quaerunt, non modo lucernam accendere negligunt, ſed, & accenſam, vel repudiant, vel extinguunt: vel illos, qui ophtalmiae morbo laborantes, non modo remedium non quaerunt, ſed, & praeparatum collyrium reſpuunt, & oculos ſibi eripiunt.

§. XLV. Nempe Philoſophis iſtis aptari percommode il-

lud

lud Chriſti dictum poteſt (in Evang. S. Joan. c. 3.): *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim opera eorum mala. Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.* Quid mirum igitur, ſi iſti tam procul a ſapientia receſſerint, ut prae ipſis antiqui Philoſophi ſapientiſſimi dici poſſint? Quid mirum, ſi res omnes veluti lymphatici, & bacchantes inverſas videant? Sacris litteris docemur, Deum eſſe corporis, & materiae omnis expertem; iſti novi illuminati Philoſophi, vel Deum non agnoſcunt, vel corporeum putant, vel an purus ſit Spiritus dubitant. Prophetae, & Chriſtus in Evangelio, immortalem, ſeu nunquam interiturum Animum noſtrum, enuntiant; iſti novi doctores, extinctis nobis, extingui, non ſecus, atque pecudum animas, exiſtimant, vel exiſtimare ſe credi volunt. Prophetae, & Chriſtus Dominus fluxas, perituras, & fallaces hujus ſeculi voluptates, & glorias ſaepe nos docent, proindeque contemnendas, ut etiam terrenas divitias, ſolaſque coeleſtes divitias, & aeternas animi voluptates, & gloriae coronas in coelo juſtis praeparatas, a nobis quaerendas eſſe, ſi ſapientes eſſe diſcupimus; iſti vero novi ſapientes, nullas voluptates, nullam gloriam eſſe praeter caducas haſce, atque momentaneas ſtatuunt, hominiſque felicitatem in his, Epicuri prementes veſtigia, collocant. Prophetae, & Chriſtus, Deum rerum omnium conditorem, humani generis Patrem, & Dominum, qui filios, & ſervos dictis ſuis audientes amat, & aeternis praemiis munerat; contumaces vero, flagitioſos, & refractarios aeternis addicit ſuppliciis in inferorum carcere tenebris, luctu, & igne cruciandos teſtantur; iſti vero Prophetis, Apoſtolis, Sanctis Eccleſiae Patribus, Salomone, & Chriſto etiam, ſi ſuperis placet, ſapientiores, Epicuri Deum nihil haec curantem, nihil agentem, ac Fataliſmum etiam quaſi poſt liminio, revocant, & inferorum ſupplicia, ceu aniles fabulas irrident.

§. XLVI. Tandem a ſacris Litteris, & Traditione, ſive

Di-

Divino Magiſterio doeemur, quo cultu, qua Religione Deus coli, & placari ab hominibus velit; iſti vel ſuperſtitioſum dicunt hunc cultum religioſum, quo Chriſtiani Deum colunt, vel quovis cultu ſive Judaico, ſive Mahumedano, vel his minore, ac ſuperſtitioſo, falſo, & ſacrilego etiam, eſſe contentum docent. Ac licet multi ex his Pſeudo-Philoſophis, ut Civium odium, inter quos vivunt, a ſe avertant, ſeſe Chriſtianos profiteantur; Judaicam tamen, & Mahumedanam, quas vocant, Religiones praeferunt Chriſtianae. (*) Neque vero heic diſſimulandum: alterum nempe ex praecipuis tenebrionibus iſtis, ac Antichriſtianae hujus Sectae Anteſignanum, Atheiſmo, & Deiſmo, quos per vices ſcriptis ſuis peſtilentiſſimis promovet parum contentum, Polytheiſmum inducere, ac Manicheiſmum ſe velle veluti e cineribus excitare videri poſſe. Non modo enim miris laudibus mactat Diocletianum, & Maximianum, Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimos, & Chriſtianae Religionis carnifices alios, ac in primis, Julianum Auguſtum ejuſdem Religionis, & Nominis Apoſtatam, ac Ethnicae ſuperſtitionis in Romano Imperio labaſcentis Inſtauratorem; ſed quantum poteſt deprimit, & mendaciis, atque calumniis inſectatur Chriſtianos Principes, ab Hiſtoricis omnibus, uti heroes, celebratos, qui vel Chriſtianae Catholicae Religioni opem tulerunt, & a vexationibus liberarunt, vel eam propagare, everſa Idololatria, atque hereſi ſtuduerunt. Duo item Principia unum boni, alterum mali phyſici non obſcure in Poetico quodam Opere ſuo, Divinam Providentiam exagitans, incautis lectoribus, & excaecatis ſuis admiratoribus ſuadere impiis ſuis, & ſcurrilibus dicteriis, cavillationibus, jociſque, quae ſunt ejus validiora ratiocinia, totis viribus conatur. Quae omnia ſi quis maturo judicio perpendat, ſtatim intelliget, hanc, quam nobis venditant, Philoſophiam novi iſti Antichriſtiani Philoſophi, meram impietatem, ſcurrilitatem, & ignorantiam cum nequitia, & ſtultitia conjunctam eſſe; cum tota ea in contradictionibus, & mendaciis, in dubitando de rebus patentiſſimis, in hiſtrionalibus, & ſacrile-

gis

gis adverſus Catholicam Chriſtianam Religionem, & ejuſdem propugnatores, & aſſertores dictis fita ſit: atque adeo, ſola naturali ratione poſt Adae lapſum valde obſcurata, ſine Divino Magiſterio, & ductu, ſine Divinorum eloquiorum lumine, ad veram Sapientiam, quae praecipue in veri Numinis agnitione, timore, religioſo cultu, & affectu, quo illum tanquam Patrem, & Dominum amamus, ac colimus, virtutumque reliquarum exercitio ſita eſt, neminem poſſe pervenire. Intelliget etiam illuminatum iſtud, quod vocant ſeculum, illud eſſe, de quo Gentium Apoſtolus ad Timotheum ſcribens Ep. 2. c. 4. praedixit: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila.*

§. XLVII. Et vigilandum profecto omnibus eſt, ne ab errorum, & fabularum magiſtris, & mendaciorum, & calumniarum architectis decepti, lumen iſtud ſacrarum Litterarum, & Traditionis amittamus: ne item rationis lumen, dum ſuperbe nimis illud attollere cupimus, deprimamus, aut cum accendere plus aequo nitimur, extinguamus. Quod Malum juſto Dei judicio accidiſſe novis iſtis Philoſophis (*) fabulatoribus, eorum greſſus titubantes, dubii, caliginoſi, ſacrilegi, atque a plana, recta, & patenti veri, & honeſti via aberrantes palam faciunt. Faceſſant igitur iſti Rationis, & Religionis Naturalis ultra modum, & meritum aeſtimatores, & Revelatae (**) contemptores. Faceſſant, inquam, iſti qui rectae rationis naturalis lumine deſtituti, & omnis religionis expertes, nomen Philoſophorum affectant: cumque nihil docere nos poſſint, quo melius, ſapientiuſque vivamus; ſeculi hujus Illuminatores, & Magiſtri videri volunt, ſoloſque ſe ſapientes putant. Quem enim docere poſſunt, aut inſtruere ad ſapientiam (quae, ut Job. ait c. 18., trahitur de occultis, quaeque ab oculis omnium viventium abſcondita eſt, nec invenitur in terra ſuaviter viventium) qui ſe ipſos nondum erudierunt, nec

viam

viam ad ſapientiam agnoverunt? quem ſanare aegroti, quem regere caeci poſſunt? Quae enim major caecitas, quam ita fictos eſſe, ut, cum recto corpore Coelum aſpectent, nihil praeter terrena mentis oculis videre poſſint? Qui enim neque Religionem, quae de Coelo eſt, agnoſcit, neque immortalitatis rationem ullam habet, neque ejus cogitatione informatur, quae tota in ſpe vitae aeternae verſatur; is ſane dicendus eſt magna mentis caecitate laborare.

§. XLVIII. An vero putabimus, ex illis diſcere veram cognitionem, & cultum, ut verbis Lactantii utar, qui tenui rationis lumine confiſi, relicto auguſtiore lumine, novas inveniendae veritatis, & ſapientiae vias Viris Sanctiſſimis, & Sapientiſſimis ignotas, ingrediuntur? qui aut pravas religiones vitiis cooperti excitant, aut omnes irrident? an expectamus donec novi iſti Socrates, novi Democriti, novi Anaxagorae, novi Epicuri, novi Empedocles, Arceſſilae, Prothagorae, vel aliquid ſciant, vel in tenebris lumen inveniant, vel ut dilatent animi ſui ſemitas, vel denique aliquid videant, ſentiant, percipiant? Ecce vox de Coelo: ecce ſacrarum litterarum, & Apoſtolicarum traditionum, ſive Divinorum eloquiorum magiſterium, veritatem docens, ad virtutem informans, ad ſapientiam deducens, & Sole ipſo clarius lumen pedibus, & ſemitis noſtris praebens. Quid nobis iniqui ſumus, & veram ſapientiam amplecti cunctamur? quam docti, & ingenioſi homines, contritis in ea quaerenda aetatibus, nunquam ſolo rationis lumine reperire potuerunt. Qui vult vere ſapiens, vere beatus eſſe, diurna, nocturnaque manu ſacram Paginam verſet: audiat Dei vocem per Prophetas, per Chriſtum, per Apoſtolos, per Eccleſiam loquentis. Servet Fidei depoſitum: diſcat juſtitiam: devitet vitia, ſacramenta nativitatis ſuae norit: humana contemnat: divina ſuſcipiat: virtutem ſectetur: ſanctam Eccleſiam Chriſti Sponſam, ac veritatis Magiſtram revereatur: Deum inſtanter oret, ut, & ſapientiam, & ſummum illud, quod per ſapientiam quaerimus, poſſit adipiſci.

P

§.XLIX. At enim vero audire mihi videor veſtrum nonnullos, orationem hanc meam partim riſu, partim commiſeratione excipientes, illudque tacite demirantes, velle me inani labore frangi, incredulos iſtos Philoſophos tam ſerio, exagitando, atque verſando; cum illi non niſi facetiis delectentur. Velle item me eiſdem veritatem ſuadere, eos hortando, ut ſapientiam, quam diſcupere videntur, per viam ſuam quaerant; cum illi non ignorantia, ſed taedio, odioque veritatis, ac ſapientiae, quas ſenſuum ſuorum voluptatibus minime indulgentes, vident, ſcientes prudenteſque a recta via ſapientiae deflectant.

§. L. Norunt illi, & quidem indubitanter (licet de hoc dubitare optent, & dubitare videantur) Deum multifariam locutum hominibus per Prophetas, per Angelos, per Filium ſuum unigenitum, per Spiritum Sanctum, per internas locutiones; ſed vellent, vel non locutum, vel non adeo perſpicue locutum: praeſertim, cum ſcelera, & flagitia eorum arguit, ac aeterna denuntiat, atque interminatur libidinoſis, voluptariis, flagitioſis, ac ſceleratis ſupplicia. Divinum ſacrarum litterarum magiſterium, ac lumen non reſpuerent, ſed libentiſſime ſuſciperent, quamvis altiſſima Trinitatis, & Incarnationis myſteria credenda proponerentur, ſi Deus eorum cupiditatibus, & ſenſilibus voluptatibus faveret. Si ſtatueret eorum impietatem, & nequitiam aeternum diſſimulare; Animorum immortalitatem firmiſſime crederent, neque mortalium ullus ab hac perſuaſione poſſet eos dimovere. Crederent etiam, & Daemones eſſe, & aeternum ignem, ſi hic, vel comburendis tantum lignis, foeno, & paleis, vel non puniendis vitiis, ſenſuumque voluptatibus: non torquendis impiis, ſed pietatis, & virtutis ſectatoribus eſſet deſtinatus. Verum cum divina eloquia, in ſacris Litteris expreſſa, nos doceant, inferni ignem, affiniaque ſupplicia aeterna eſſe, haecque impiis, ac voluptariis hominibus parata eſſe, atque impendere; veritates iſtas amaras nimium, eiſdemque minime adbladientes reſpuunt, in dubium ſaltem revocare

cu-

Digitized by Google

cupiunt, conanturque pro virili parte ſua, ſibi aliiſque aniles eſſe fabulas ſuadere, ne aeternorum illorum ſuppliciorum metu, & anteactae in flagitiis vitae conſcientia perculſi, terreantur, & voluptates ſuas, atque flagitia deſerere, vitamque viro vere ſapiente, & Chriſtiano dignam vivere, metu ſaltem poenarum, conſtringantur.

§. LI. Date mihi, dicet veſtrum aliquis, hos Philoſophos amatores Continentiae, Juſtitiae, Temperantiae (nam Fortitudinis gloriam ſibi arrogant), & dabo vobis illos amantes, & cupidos ſapientiae, quae a Deo eſt, ſeu ejus, quae divino ductu, ac ſacrarum litterarum Magiſterio comparatur. Date illos de ſe humiliter ſentientes: ingenio, & eruditioni ſuae non nimium tribuentes: plauſum ſtultorum, quorum numerus infinitus eſt, non curantes: inter virtutes, & vitia ſecundum rectam rationem diſcernentes, Rationi obtemperantes, Conſcientiae non reſiſtentes, vitia deteſtantes; & dabo vobis illos ab erroribus mentis, & cordis ſui reductos ad rectam viam ſapientiae, & veritatis::: Ita eſt, AA,: Ita eſt, Sodales optimi. Vobis aſſentior: date veniam, quod vos longo ſermone moratus fuerim, novos iſtos Philoſophos, vel potius ſcurras, hiſtriones, & ſycophantas exagitando. Fateor, me tempus inutiliter contriviſſe: bono quidem animo, & cum ſpe aliqua bonam mentem eiſdem dictis meis inſtillandi, ac in viam eos reducendi. Sed video jam, oleum, & operam, Ethiopes lavando, & voluntarios caecos illuminando, perdidiſſe. De his namque Hieremias ajebat; (*Cap.* 13. *V.* 23.) *Si mutare poteſt AEthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Et Salomon in Proverbiis: (*Cap.* 23. *v.* 34.) *Laetantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viae ſunt perverſae, & infames greſſus eorum.* Nos vero, Philoſophico hoc, & illuminato, quod vocant, ſeculo, monitum D. Paulli ad Colloſſenſes c. 2. prae oculis habeamus: *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa*

mundi, *& non ſecundum Chriſtum*. Illud quin etiam perſuaſum nobis ſit Sapientiae c. 9. v. 6. *Etſi quis conſummatus fuerit inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia* (quae nempe a Deo eſt) *in nihilum computabitur*.

ADNOTATIONES RESPONDENTES §§, SEU NUMERIS DISSERT. V.

Adnotatio I. reſpondens num. XVIII.

DUcentae octoginta octo diverſae opiniones a Varrone recenſentur, vel ad totidem reduci poſſunt, quae ab ipſo referuntur a diverſis Philoſophis adoptatae circa Hominis beatitatem, ſive circa finem ultimum bonorum, in quo humana felicitas conſiſtit. Vide ſis D. Aug. de Civitate Dei *lib.* 20.

Adnotatio II. reſpondens num. XX.

Paullus plura de his Philoſophis in Epiſt. ad Rom. c. 1. *Inter alia de illis ait:* Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Idem dici poteſt de novis hujus noſtri ſaeculi Philoſophis, qui gloriantur, ſe hoc ſaeculum illuminaſſe; cum illud erroribus ſuis, calumniis, & mendaciis eiſdem familiaribus, ut & infamia obruiſſe impiis ſuis, ſtultis, & tenebricoſis ſcriptis, dicendi ſint.*

Adnotatio III. reſp. num. XXI.

De Phoenicibus Lucanus cecinit Pharſal. lib. 3.

Phoenices primum, ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Verum priuſquam Phoenices, & Graeci litteras noſcerent, plures erant inter Indos, Scythas, Arabes, Chaldaeos, Perſas, Cananaeos, & AEgyptios Scholae, & Philoſophi, qui Naturam, ac rerum naturalium principia, & cauſſas inveſtigare nitebantur: pluraque de Divinis, & humanis rebus, de virtutibus, & vitiis diſputabant.

Adnotatio IV. eidem num. reſpondens.

De Joſepho in AEgypto cecinit David Pſalmo CIV., vel quicunque fuerit illius Pſalmi Auctor: Conſtitutum a Pharaone AEgypti rege dominum domus ſuae, & principem omnis

poſſeſſionis ſuae, ut erudiret principes ejus, ſicut ſe ipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret.

Adnotatio V. reſp. n. XXII.

Vide Plutarchum de Placitis Philoſophorum *referentem opiniones ineptiſſimas, & inter ſe pugnantes veterum Philoſophorum de rebus praeſertim Phyſicis.*

Adnotatio VI. reſp. n. XXXIII.

Apollinis oraculum ab Athenienſibus conſultum, & interrogatum, quinam tandem Sapientes inter mortales eſſent? illud, ut eſt apud Juſtinum Martyrem, dicitur reſpondiſſe binis Graecis verſibus, quibus hi latini conſonant:

Solus Chaldaeus ſapit, & Judaeus apella

Per ſe ipſum genitum, regemque, Deumque colentes.

Vel, ut alii, neglectis metri legibus, verterunt,

Chaldaei, Hebraeique Sapientia tantum eſt,

Qui dominum norunt unum, coluntque parentem.

Adnotatio VII. reſpondens num. XLVI.

Nihil mirum, Epicureos iſtos, ſive Voluptarios illuminati hujus ſeculi Philoſophos, Judaicam, & Mahumedanam leges Chriſtianae Religioni praeferre. Haec ſpiritalis cum ſit, ſenſuum voluptatibus, & carnis illecebris fraena injicit; illae cum ſint carnales, *habenas laxant. Lex Chriſtiana libellum repudii, & uxorum pluralitatem damnat; illae permittunt. Quis ſcit, an Philoſophi iſti, licet Dominationem, & Imperium omne Politicum, ut illegitimum, & tyrannicum damnent, pertaeſi Chriſtianorum Principum, qui ſartam tectam Chriſtianam legem tuentur, dominatum, prae eo Turcarum, vel Mahumedanorum aliorum optent? & Chriſtianis populis ſuadere in animo habeant (licet ſibi metuentes hcc diſſimulent), ut rejecto ſuavi Chriſtianarum Poteſtatum jugo, Mahumedanis ſe ſubdant, quorum Politicam, & felicem ſtatum ſaepe laudant: quo poſſint ſub illis ſine poenarum metu, & conſcientiae morſibus ſenſuum voluptatibus indulgere? Hoc unum mihi, & viris cordatis certum, eos ſuis ſcriptis peſtilentiſſimis ſenſim inducere Chriſtianos populos ad Chriſtianam legem, & dominationem rejiciendas. Illud addo (utinam falſus ominator ſim) ingentia mala Chriſtianae Reipublicae ab his Philoſophis, & eorum*

impiis ſcriptis imminere, niſi ſi quamprimum ſeveriſſimis legibus, & poenis eorum audax impietas, & ſcribendi licentia comprimatur. Quae mala eo magis timenda ſunt, quod illi ſuperiores Poteſtates a Deo ordinatas, non credunt; ſed tyrannicas, & illegitimas eſſe non obſcure affirmant, hominumque aequalitatem, ac ingenitam, ut vocant, independentiam, & verbo, & libris ſuis, celato nomine, editis, novi iſti Praedicatores populis perſuadere pro virili parte ſua conantur. Hoc demum moneo, in eorum ſcriptis venenum latere ſub melle.

Adnotatio VIII. reſp. num. XLVII.

De his Philoſophis ajebat Job. cap. 12. *v.* 25.: Palpabunt in tenebris, & non in luce, & errare faciet eos Deus quaſi ebrios. *Et nihilominus caeci iſti, & tenebriones, ſuperbiae, ac caducarum corporis voluptatum vino ebrii, rentur, ſe noſtrum ſeculum ſcurrili, & falſa ſua Philoſophia celeberrimum effeciſſe, & ab eorum tenebricoſae doctrinae luce* Illuminatum *debere appellari.*

Adnotatio IX. reſpondens eidem n. XLVII.

Antiqui Philoſophi, qui veritatem, atque adeo ſapientiam, in profundo ſitam, & tenebris circumfuſam dixerunt, videntur legiſſe Jobum cap. praeſertim 28., *in quo docet Sapientiam trahi de occultis, abſconditam eſſe ab oculis mortalium, & volucres etiam coeli, id, eſt magna, & ſublimia ingenia latere. Videntur etiam dictis ſuis tacite, licet neſcientes, docuiſſe, Sapientiae ſtudioſos, Sapientiam, quam quaerunt, niſi a Deo reveletur, ſuperno lumine mentibus hominum etiam acutiorum, & oculatiorum infuſo, neutiquam inventuros. Quamobrem Ethnici Philoſophi, qui vel plura Numina colebant, vel ſenſuum voluptatibus, & vitiis aliis indulgebant, ut etiam ſeculi noſtri Philoſophi Epicuri ſectatores, ac Revelatae Religionis hoſtes, famam quidem Sapientiae, quod de Perditione, & Morte Jobus dixit, auribus ſuis audierunt; at Sapientiae compotes nunquam fuerunt. Mortalium mentis oculi poſt Adae lapſum obſcurati ſunt, & lippitudine laborant: ac niſi eis velamen iſtud a Deo auferatur, & lippitudo ſanetur, quod per lucem ſacrarum Scripturarum, & divinum Magiſterium fit, non valent in locum Sapientiae fulgentiſſimum intueri, nec ad eum recta ire.*

Monitum ad Lectorem eruditum, antiquitatis ſtudioſum.

QUoniam antiquiſſima Inſcriptio poſita L. Scipioni, quae affertur in hoc Opere pag. 92., cum aliqua varietate deſcripta legitur in diverſis Scriptoribus; placet heic eam deſcribere, prout a Fabreto traditur in Theſauri Gruteriani Emendatione: & opto, ſecundum hanc emendari, quae in indicata hujus Operis pagina legitur. Fabretus autem ſic eam deſcribit.

HONC. (a) OINO. PLOIRUME. CONSENTIONT. R
DUONORO. OPTUMO. FUISE. VIRO
LUCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FUET. (a) A
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE. URBE
DEDET. TEMPESTATEBUS. AIDE. MERETO

(a) Valchius legit *HOINC*. (b) Valchius legit *FUETA* conjunctim: cui lectioni favere videtur Sirmondus, qui interpretationem litterae *A* ſejunctae omittit. Si *FU* legeretur ſeparatum ab *ET*, vel aliud *ET* poſt *FUET* in ea legeretur, ſuſpicarer per *A* ſeparatum ſignificatam Auguratus Dignitatem, & tunc legeretur, vel ſignificaretur *Fuit, & Augur*. Ex hac Inſcriptione conjectare licet. 1. Claſſem, cujus Dux, & Imperator fuit L. Scipio Corſos debellaturus, ſaevis tempeſtatibus in Mari Corſico, quod valde procelloſum eſt, jactatam. 2. L. Scipionem primum fuiſſe, qui Romae delubrum Tempeſtatibus dedicavit. 3. Ad Scipionis claſſem, & ad Inſcriptionem L. Scipioni poſitam alluſiſſe Ovidium *Faſtorum* lib. VI cum cecinit.

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur,
Cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Suſpicari etiam poſſumus ex Orthographia hujus Inſcriptionis non minus, quam ex ea, qua ſcriptae fuerunt leges 12. Tabularum, & lucubrationes vetuſtiorum Latinorum Poetarum, priſcos Romanos cultiores non perinde ſcripſiſſe, ac loquebantur, quamvis vulgus fortaſſe pronuntiationem ſcripturae conformem haberet, quemadmodum nunc in nonnullis ſaltem Galliae Provinciis Cataloniae proximis contingit. Coeptum vero parum ante C. J. Caeſaris, Ciceronis, & Auguſti aevum Orthographiam Latinam accommodari ad pronuntiationem, & tandem poſt Auguſtum omnino aptatam ſcribendi rationem, ſive Orthographiam inter Viros doctos pronuntiationi cultiori. Suſpicionem, ſive conjecturam meam roborat, quod Suetonius cap. 88. in *Vita Auguſti* de eo narrat. *Orthographiam*, inquit, *id eſt formulam, rationemque ſcribendi a Grammaticis inſtitutam non adeo cuſtodit: ac videtur, eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquendum exiſtiment. Nam quod ſaepe non litteras modo, ſed ſyllabas, aut permutat, aut praeterit, communis hominum error eſt*. Haec indicant, Auguſti aevo, varias fuiſſe Virorum doctorum circa Orthographiam opiniones, & adhuc ſub Judice litem fuiſſe Romae, utrum ſcribendum ſecundum pronuntiationem, an ſe-

cus? ac demum deciſam litem pro opinione ajente, quae Auguſto probabatur. Exiſtimo nihilominus, indoctum vulgus Romanorum pronuntiationem ſecundum veterem ſcribendi rationem non multum immutaſſe; & hanc pronuntiationem eſſe, quam Cicero in libris de *Oratore* Ruſticam appellavit. Dabimus olim fortaſſe, Deo auſpice, Lexicon antiquae, & obſoletae Latinitatis.

SYLLABUS

Lucubrationum contentarum in hoc Opere.

I. Epiſtola, ut vocant, Nuncupatoria. pag 3
II. Epiſtola Editoris Operis ad Lectorem eruditum: in qua exponitur Ratio Operis, & Conſilium Auctoris. pag. 11.
III. Diſſertatio I. In qua utrum licitum, an nefas ſit, novis, & inuſitatis Vocabulis Latinae Linguae copiam augere? pag. 21
IV. Adnotationes. pag. 48.
V. Diſſertatio II. In qua utrum nunc temporis vivat Latina Lingua, an Lingua Mortua dicenda ſit? cet. pag. 54.
VI. Adnotationes. pag. 89
VII. Diſſertatio III. In qua, utrum priſci Chriſtiani Scriptores, & Eccleſiae Patres fuerint Latinae Linguae corruptores, an de ea benemeriti? cet. pag. 96
VIII. Adnotationes. pag. 140
IX. Diſſertatio IV. In qua exponitur Judicium Q. Moderati Cenſorini de Joan. Georgii Valchii *Hiſtoria Critica Latinae Linguae*, cum praevia Epiſtola ad V. Cl. Hieronymum Ferrium. pag. 153
X. Adnotationes. pag. 183
XI. Diſſertatio V. Quae eſt Appendix ad Diſſertationem III. de Vita, & Morte Latinae Linguae. cet. pag. 195
XII. Adnotationes cet. pag. 228
XIII. Monitum ad Lectorem circa Orthographiam antiquam, & circa diverſam Pronuntiationem Vocum Latinarum, quae apud Romanos eruditos, & indoctum Vulgus Ciceronis aevo vigebat. pag. 231

Errata, quae humana imbecillitas parum cavit, quantumvis pleraque ſatis levia, ſic emenda.

Pagina 5 Verſu, ſeu ut vulgo placet, linea 21 ante *commenſales* adde *ut ajunt*. Pag. 8 lin. 8 dele *ferrea*. P. 9 l. 16 lege *An. Chriſti*. P. 17 l. 33 poſt *Idem* adde *de Deo*. P. 35 l. 12 lege *vivis*. P. 76 l. 29 in fine § dele interrog. notam? P. 81 l. 33 lege ſeparatim *de Jure conſulti*. P. 91 l. 1 lege *Ploirume*. P. 95 l. 14 poſt *Num* dele *forte*. P. 101. l. 35 lege *plebeios*. P. 105 l. 6 lege *Linum*. P. 128 l. 16 lege *Afranius*. P. 135 l. 1 lege *pomeridianas*. P. 160 l. 24 lege *probroſae*.

EMANUELE II BIBLIOTECA IN ROMA
MG 2015932

Digitized by Google

Google